



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regale Sacerdotium Romano Pontifici Assertum

Sfondrati, Celestino

[Sankt Gallen], 1684

Liber III. Propositio Parisiensis III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63125)



LIBER III.

PROPOSITIO III.



IN fidei quæstionibus, & præcipuæ sunt Pontificis Romani partes: & quæ ab illo etiam extra Concilium, è cathedra tamen, definita sunt, errorem omnem ac dubium excludunt: non quia hominis voces sunt, sed quia Dei per os Vicarii sui loquentis: & ideò non eâ ratione Pontificis sententiæ certæ firmæque sunt, quia illas Ecclesia credit, acceptatque: sed ideò Ecclesia credit, acceptatque, quia veræ certæque sunt. Sic canones loquuntur, sic Patres testantur, sic ipsa Concilia profitentur, sic usus omnium Ecclesiarum semper obtinuit: & quod omnia superat, sic divinæ scripturæ locutæ sunt.



FINIS

LIBER

III

§. I.

§. I.

Quid sit Pontificem è Cathedra docere.

Summaria.

1. *Papam considerari, ut summum Ecclesie caput, & privatum Doctorem posse, ex utroque Testamento, ex SS. Doctoribus, variisq; exemplis ostenditur.*
2. *Quid requiratur, ut docere ex Cathedra Pontifex dici possit?*

I.

HA distinctio, quâ Pontificem Romanum consideramus, vel ut *privatam Personam*, vel ut *Publicam & solemnitè, auctoritative, ex Pontificiâ potestate, ac è cathedra docentem*; non est nova, sed antiquissima; nam in veteri lege celebre illud Oraculum Urim, & Thummim, quod in ambiguis obscurisque rebus summum sacerdotem edocebat, atque ab eodem ad pectus gestabatur, non privatæ & domesticæ vesti, sed Pontificali & solemni inscriptum erat *Exodi 28*. Deo hæc ratione ostendente, munus Ecclesiam instruendi, & in causis ambiguis judicandi, ad summum quidem sacerdotem pertinere; non tamen semper & ubique, sed cum Pontificem agit; tunc enim, & non aliàs, eum cælitus, ne fallat, aut fallatur, illustrari. Hæc causa fuit, ut sacerdotes nunquam ad consulendum Oraculum accederent, ab eoque responsum acciperent, nisi prius Ephod induissent, ut patet *1. Regum 23. & 30*. Quæ vestis erat auro texta, variisque ex serico coloribus distincta, & cui Oraculum insertum erat.

Sic *Matthæi 23*. jubet Christus scribas & Phariseos audiri, eorumque doctrinam observari, quia super cathedram Moïsis & Prophetarum sederunt: quasi tota radix & origo eorum in docendo

Nun auctor-

auctoritatis cathedræ adstricta esset, quam publicè docentes inferebant: alioquin privatas opiniones & sententias quod attinet, certum est multa Phariseos docuisse, impia, legique divinæ & naturali omnino contraria, ut habetur *Matth. 23.*

Sic etiam sexta Synodus Constantinopolitana sub Agathone PP. epistolam ejusdem Agathonis approbat, summisque laudibus extollit, & in illa non tam Agathonem, quam Petrum locutum fuisse dicit. *Sess. 8. & sess. 18.* agnoscitque Cathedram Petri, ejusque successores omnis hæresis expertes esse: & tamen *Sess. 13.* Honorium I. Romanum Pontificem hæreticum fuisse dicit eumque damnat: ubi manifeste Concilium differentiam indicat inter Pontificem è Cathedra ac sententialiter, & ex privata tantum opinione docentem; & in hoc casu errare posse, nam in primo non admittit.

Sæpe etiam S. Augustinus contra Donatistas disputans, cathedram à persona, hoc est, *errorem personalem à cathedrals* distinguit, hunc negat in Petri successores cadere; illum concedit. (a)

Immo B. Apostolus, & ex illo symbolum nostræ Religionis Ecclesiam Catholicam, sine ruga & macula, & sanctam esse profiteatur; cum tamen major pars Ecclesiæ sint peccatores; immo qui dicit se absque peccato esse; mendax sit *1. Joann. 1.* Quomodo ergo Ecclesia est sine ruga & macula, sed tota pulchra? nisi quia non tam privata personæ, quæ Ecclesiam Catholicam componunt, attendenda sunt, quam publica illius forma, quæque ad omnes pertinet, hoc est, leges, doctrina, & Sacramenta, quæ omnia sancta sunt, omnemque maculam peccati excludunt.


Sic ergo cum in hoc libro dicemus, Romani Pontificis iudicium in rebus fidei, esse ultimum, infallibile, irreformabile; de Romano Pontifice loquimur, non ut privata persona est, & aliorum Doctorum instar scribit, docetque; sed ut Pontifex est, & ex Pontificali auctoritate Ecclesiam universalem docet, ac rebus maturè discussis, causam aliquam definit, & quæ definit, jubet tamquam fidei veritatem haberi, & qui non habent, creduntque, hæreticos pronuntiat. Hoc ergo est Pontificem agere, & è cathedra loqui, quod nulli Doctorum, aut Episcoporum convenit. Sicut ergo in antiquo Testamento non omne Pontificis re-

(a) V. Ejusdem B. August. epistolam 165. sponsum

sponsum Oraculum fuit: & in Christo Domino non omnis actio divina, sed etiam humana, & mixta, seu theandrica: nec omnis in eodem Christo scientia infusa, & increata, sed etiam creata, & acquisita, & capax incrementi, immo imperfecta, & aliquid habens nescientia *Marci 13 n. 31. De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neq. Filius nisi Pater.* Eodem modo non omnis actio ab anima rationali procedens, est rationalis: nec omnis notitia, quam de causa aliqua iudex habet, est publica & judicialis, & ideo communiter & Theologi & Jurisperiti docent, teneri iudicem sententiam proferre non ex privata, sed publica scientia *c. 28. de Offic. Jud. Deleg.* Sic etiam non omnis actio & doctrina Pontificis, est Pontificia, sed sicut in Beatis visio beatifica & matutina non absorbet visionem vespertinam; ita & Pontifex aliqua facit, ut homo, aliqua ut Princeps, aliqua ut Doctor, aliqua ut Papa, hoc est, ut Caput & fundamentum Ecclesie: & his solis actionibus privilegium infallibilitatis adscribimus: alias humanæ conditioni relinquimus: sicut ergo non omnis actio Papæ est Papalis, ita non omnis actio Papæ Papali privilegio gaudet.

II. Ceterum, ut dicatur Papa ex cathedra, & consequenter absque ullo errandi periculo aliquid definivisse, non oportet illum certo alicui medio, aut consultationi alligare: frustra enim alioquin & inefficax foret in Papa talis auctoritas, nam cuius error damnatus esset, prætereundum semper posset, se illegitimè damnatum esse, quod Papa paucos concilio adhibuisset, aut imperitos rerum, aut odio ductos, aut denique præconceptâ opinione occupatos, & partium studiis addictos, quæ omnia hæretici nostri temporis Tridentino Concilio objecerunt. Modò ergo non constet Romanum Pontificem in rebus fidei decidendis temerè processisse, omnino illius iudicio standum est, Deoque curæ erit, non permittere, ut absque sufficienti examine & prudentia sententia feratur: ejus enim est, qui finem constituit, etiam media fini necessaria curare: frustra alioquin *Deut. 17. Matth. 23 & 18. & Luca 10* Ecclesie & Sacerdotis imperio obtemperari etiam sub pœna mortis juberet, quibus semper à subditis opponi posset, sine sufficienti examine, & imprudenter imperatum esse. Et ideo in Tridentino Concilio *sess. 25. de Reform. c. 113. in fine.* Romani Pontificis prudentiæ & discre-

tioni committitur, quem in rebus ambiguis definiendis, indultis modum adhibere velit. Verba Concilii sunt: *Quod si in his recipiendis difficultas aliqua orietur, aut aliqua inciderint, qua declarationem aut definitionem postulant; præter alia remedia in hoc Concilio instituta confidit S. Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta est, in quos eodẽ negotio tractando videt expedire: vel etiam Concilii Generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, vel commodiore quâcunque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesia tranquillitate consulatur.*




§. II.

Summi Pontificis è Cathedra, quamvis extra Concilium, docentis indubiam & infallibilem auctoritatem esse, sacris Paginis docetur.

Summaria.

1. Expenditur locus Deuter. 17. & ex illo argumentum ducitur.
2. Et Lucæ 22. adjunctâ SS. Patrum interpretatione.
3. Et Matthæi 16. ac Ioann. ult.
4. Adversarios Concilii prætextu id agere, ut S. Pontificis sententias non Concilio tantum, sed cuilibet Episcopo, privatoque Doctore submittant; sublatâ interim obsequendi necessitate.



I.



Atis quidem ex iis, quæ in secunda propositione disputavimus, Pontificis Romani auctoritatem in rebus fidei decidendis supremam esse, omnique periculo errandi exemptam constat; si enim Concilium à Papa non confirmatum, ut ostendimus, errare potest, nec ullam in Pontificem

infallibilem esse, è SS. Litteris probatur. 471

tificem corrigendi, judicandi, recipiendique appellationes potestatem habet; oportet ergo, aut Pontificis iudicium, quod ultimum est, infallibile esse; aut omnia in Ecclesia fluctuare, nullo Iudice certo, qui nascentes fidei controversias ita dirimat, ut omne dubium absolvat. Ut tamen tanto clarius evadat, quanto pluries illustrata: expendemus etiam pro hac tertia propositione, ea Scripturæ loca, quæ pro Secunda jam supra expendimus; sunt enim ferè eadem.

Primo locum habemus *Deuter 17. ubi: Si difficile arg. ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam & causam, lepram & lepram iudicium intra portas tuas verba videris variare: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis: & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quærsque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur.* Ad hunc locum *Deut.* respiciens *Josaphat Rex Parahpom. 2. cap. 18.* Sacerdotes sic alloquitur: *Omniem causam, qua venerit ad vos fratrum vestrorum, ubicumq; questio est de Lege, & de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, ostendetis eis, ut non peccent in Dominum: Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, qua ad Deum pertinent, presidebit.*

Et *Ecclesiast. 12.* *Verba Sapientum sicut stimuli, & sicut clavi in altum defixi, qua per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His amplius fili mi ne requiras.*

Ad maiorem intelligentiam horum sacræ Scripturæ textuum nota: Legales causas fuisse duplices, Primo erant sacræ & ceremoniales, hoc est, de Religione, de Fide, Sacrificiis, lepra, &c. hæ ad Sacerdotale iudicium pertinebant. Aliæ judiciales erant, videl. de homicidio, de sanguine, &c. istas Magistratus laicus dirimebat, qui in singulis urbibus habitabat, & in portis jus dicebat, ut ab omnibus etiam exteris tanto liberius adiri posset. *Deuter. 16. v. 8.* Si vero lis tam esset ambigua, ut ab inferiori & obvio hoc Magistratu definiti non posset, ea Hierosolymam deferenda, & à Concilio Sacerdotum, præsertim summo Pontifice definienda erat. Omnes enim causæ etiam judiciales ex lege explicabantur; legis autem interpretes erant Pontifex, cui in hoc casu non sacræ tantum, sed etiam civiles causæ committebantur, ut patet ex *Deuter. 21. v. 5.* *Ezech. 44. v. 24.* *Josepho l. 2.*

contra.

472 Lib. III. §. II. S. Pontificem è Cathedra docentem
contra Apionem. Et Philone lib. 3. de Vita Moysis. Pronuntiatà verò
à summo Pontifice sententiã, iudex sæcularis eandem exequabatur, &
ex hujus decreto, qui nolent Pontificis imperio obtemperare, extre-
mo supplicio multabantur, ut hinc dicitur, explicant que Cajetanus, Ly-
ranus, Oleaster Sigonius, & existis Cornelius in hunc locum.

Ex hoc Deuteron. textu argumentari sic licet: Vel summi
Sacerdotis sententia infallibilis & irreformabilis erat, vel non
erat? Si erat? hoc ipsum est, quod volumus, quodque probare in-
tendimus; nec enim privilegium & assistentia Synagogæ conce-
ssa, Ecclesiæ neganda est longè nobiliori, quamque plures hære-
ses impugnant, utpote toto orbe diffusam: & proinde uno & in-
fallibili iudice magis indiget, qui finem discordiis imponat. Si
verò summi Sacerdotis sententia infallibilis & irreformabilis non
erat? cur ab illa non admittitur appellatio, & qui non acquiescit,
mori iubetur? planè dignus morte non est, qui in rebus fidei du-
biam incertamque sententiam non admittit, cum fidem oporteat
indubiam esse, certamque: nec unquam, nisi injustè, ultimo sup-
plicio affectus est, qui à iudice & sententia appellavit, à qua ap-
pellare potuit, quæque ultima non est.

Dices, Pontificis sententiam fuisse quidem certam, sed à Pon-
tifice in Concilio, & ex Concilii suffragiis latam, ut patet ex vet-
bis sacri textus, qui non de uno Pontifice, sed de pluribus loquitur;
& ideò Hebræi & Sigonius l. 6. de Republ. Hebr. c. 7. explicav-
erunt de magno Concilio Sanhedrim, quod 70. viris constabat; non er-
go potest ex hoc textu deduci summi Pontificis sententiam, etiam
extra Concilium docentis, ultimam esse, & irrefragabilem.

¶. Sanhedrim non fuisse Concilium generale, cum 70. tan-
tùm viris constaret, quorum multi Sacerdotes non erant; non er-
go potest ex hoc loco argumentum pro Concilio generali adduci.
Deinde esto generale fuerit, illi tamen Pontificis Max. sententia
adstricta non erat: de solo enim summo Sacerdote dicitur: *Qui au-
tem superbiens noluerit obedire imperio Sacerdotis, qui eo tempore
ministrat Domino Deo tuo, morte morietur.* Et ideò solus Pont. Max.
Rationale & Oraculū Urim Vethūmim ad pectus gestabat, cū inscrip-
tione: *Judicium & Veritas*: solus etiam & sine Concilio Oraculum
consulebat in rebus dubiis 1. Reg. 23. & 30. Et esto concedamus, in ve-
teri

veri testamento, ubi vix angulum Orbis Synagoga occupabat, Pontificis ultimam sententiam fuisse Concilio alligatam; hoc tamen de Ecclesia Christi dici non potest, quæ cum toto terrarum orbe diffusa sit, Concilium generale convocari rarissimè potest, & tunc etiam cum gravissimis Ecclesiæ incommodis; & propterea non in Concilium, sed in solum Petrum curam & gubernationem suæ Ecclesiæ transtulit Christus, multasque hæreses sine Concilio voluit à solo Pontifice confutari, & qui non illi adhæreret, pro hæretico æstimari, ut expressè testantur S. Augustinus *epist. 162.* & in *Psalm. contra partem Donati.* Et S. Leo *epist. 87. ad Episcop. Viennensis Provinciae*, quæ verbatim testimonia infra recitabimus, & ipsa Ecclesiæ praxis plùs satis demonstrat.

II. Secundus scripturæ locus habetur *Luca 22.* Ubi Christus pro Petro ejusque successoribus rogasse se dicit, ne unquam illorum fides deficiat: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Nota, hæc Christi verba specialiter ad Petram dirigi; quamvis enim Sathan omnes Apostolos expetiverit, non tamen dicit Christus: *Ego pro vobis rogavi:* sed *pro te:* innuens se privilegium aliquod speciale Petro postulasse: nec Petro tantum, sed illius etiam successoribus: semper enim Ecclesia, ut impetitur à Sathana, ita confirmari debet: & sicut ex omnium Catholicorum sententia aliæ promissiones Petro factæ ad ejus successores pertinent, sic etiam ista; nec aliter Concilia ipsa & Patres hunc locum intellexerunt, ut planè temerarium sit, non ita intelligere: quamvis enim etiam pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia Christus oraverit; specialiter tamen pro Petro ejusque successoribus, ne in fide deficerent, aliquid contra ipsam docendo, orasse; sicque speciale aliquod privilegium Petro & successoribus impetrasse, tum ipsa per se verba, tum omnium Patrum consensus habet. Ii sunt: Patres sextæ Universalis Synodi Constantinopolit. *Act. 4.* S. August. *l. de corrept. & grat. 18.* S. Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* Theophylactus *in c. 22. Luca.* S. Lucius Papa & M. *epist. 1. ad Episcopos Gall. & Hisp.* S. Leo *serm. 3. de Assumpt. sua ad Pontif.* S. Nicolaus I. *epist. ad Michaëlem Imperat.* S. Leo IX. *epist. ad Petrum Antioch.*

474 Lib. III. §. II. S. Pontificem è Cathedra docentem
S. Bernardus *epist.* 190. *ad Innoc.* S. Gregorius M. l. 6. *epist.* 37. *ad Eul-*
gium. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. a. ult. Innocentius III. *in epist.* *ad Episc.* A.
relat. & habetur c. *Majores de Bapt.* Joannes Constantinopolit. *epist.*
ad Hormisd. Papam. Theodorus Studites *epist.* *ad Paschalem PP.* S.
Bernard. *serm.* *de privileg. B. Joann. Bapt.* Et denique omnium elegan-
tiss. B. Agatho PP. *epist.* *ad Augustos,* quæ recitata, recepta, summisque
laudibus affecta est à Patribus 6. Occumenicæ Synodi *Act.* 4. & 8.
& habetur *Tomo 3. Conciliorum.*

Jam ex hoc Lucæ textu, junctâ explicatione & interpretatione
omnium ferè SS. Patrum, sic argumentamur: Si Romani Pontificis è
Cathedra docentis sententia in materia fidei non est infallibilis, ergo
potest illi error fidei subesse; ergo ejus fides potest deficere: non
ergo verum est privilegium illi à Christo speciale impetratum esse, ne
illius in docendo fides deficiat.

Dices 1. Hoc privilegium Petro impetratum à Christo ad ejus
successores extendendum non esse.

R. Hoc imprimis militare contra explicationem omnium
Patrum, qui hanc Christi promissionem non Petro tantum, sed
ejus Sedi, & consequenter successoribus factam esse dicunt. Idque
ex Christi verbis colligitur, qui hoc donum perpetuæ & indefecti-
bilis fidei in utilitatem Ecclesiæ Petro contulit, ut is videlicet eam
confirmaret contra Sathanæ insultus: quæ ratio non pro Petro so-
lum, sed pro ejus successoribus æquè multoque magis militat:
quando videlicet Ecclesiæ & multo magis impugnatur, & multo
magis, ut confirmetur, opus habet. Quod si hoc privilegium ad
solum Petrum restringas: idem dicendum erit de aliis *Matth.* 16. &
Joann. ult. Petro concessis: quod si semel admittas: imprimis con-
tra totam Ecclesiæ sentis: deinde quomodo contra hæreticos pri-
matum & potestatem Pontificis Romani probabis?

Dices 2. Promissionem Petro factam principaliter in Ecclesiæ
dirigi, quæ à Concilio Generali representatur.

R. Hoc vix responso aliquo dignum esse: tam enim clara
sunt Christi verba, tam apertè in solum Petrum diriguntur, &
adedò nulla Ecclesiæ, aut Concilii fit mentio, ut videantur adver-
sarii nostri non tam suam opinionem ad scripturam accommodare
voluisse, quàm potius scripturam, volentem nolentemque in suas
partes

partes trahere, ut non tam ipsi quod scriptura, quam scriptura quod ipsi sentiret.

Quòd si velint, donum & privilegium Petro & Successoribus collatum, mediatè ipsi etiam Ecclesiæ collatum esse, quæ cum à Petro gubernari se patitur, errare non potest; quemadmodum quidquid boni natura capiti concessit, illud totum in bonum, & directionem corporis redundat; id quidem verissimum est, & sensui SS. Patrum omnino consentaneum: sed sententiam nostram confirmat potiùs, quàm evertit.

Dices 3. Ex eo Evangelii textu non haberi, quòd Pontificis iudicium etiam extra Concilium docentis, infallibile sit.

R. Cùm Christus nullam omnino Concilii mentionem faciat, multòque minùs infallibilitatem Petri illi adstringat; gratis & sine fundamento hac limitationem ab iis opponi, qui dolent Scripturam aliter loqui, quam ipsi velint. Si Petri fides à Concilii directione, & non econtra Concilii fides à Petro penderet; non tam Petrus fratres suos confirmaret, quàm ipse à fratribus confirmaretur.

III. Faciunt ad hoc ipsum probandum, quæ *Matth. 16.* & *Joann. ult.* habentur, ubi ex omnium Catholicorum sententia Petro, ejusque successoribus dicitur, eos esse *Petram & fundamentum Ecclesiæ, contra quam porta inferni non prevalebunt*: illis, tanquam totius Ecclesiæ Pastoribus, omnium Christi ovium cura & regimen per ea verba committitur; *Petro amas me? pasce oves meas.* Quænam istorum verborum sententia sit, jam suprâ explicavimus: nunc ex illis hoc argumentum ducimus. Si Petrus ejusque successor est fidei Petra, oportet illum, cùm Ecclesiam publicè, & cum potestate docet, (tunc enim maximè officio suo fungitur, & Petram agit,) concuti in fide non posse, multo minùs frangi; aliàs non tam Petra, quam arena esset: & quid plus aliis Doctoribus & Episcopis Petrus accepisset, quàmve ratione Petræ titulum magis meritus esset, si æquè ac illi posset in fidem impingere evertique, & errores docere? Si Petri omniumque Episcoporum in credendo, docendòque, quæ sunt fidei, par est conditio, omnes pariter erunt petræ, nec majori titulo Petrus, quàm illi: si verò Petri, & aliorum Episcoporum non est in fide par conditio, oportet plus Petro ejusque successoribus,

476 Lib. III. §. II. S. Pontificem è Cathedra docentem
bus, quàm aliis Episcopis tribui : & quid hoc aliud ? nisi quòd ca-
dere illi omnes in errores possint ; immo pleræque hæreses ab Epi-
scopis aut natæ, aut nutritæ : Petrus solus ejúsque successores non
possint ; & ideò Petro, non aliis dictum esse : *Super hanc Petram
ædificabo Ecclesiam meam.* Rursus : si Petrus, ejúsque successores
sunt fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ infeti non prævale-
bunt, hoc est, quæ nunquam corruet, nunquam errabit, aut defi-
ciet, multo magis oportet fundamentum corruere & deficere non
posse : quid enim hoc portenti, ut stante domo fundamentum ca-
dat ? Aut ergo fundamentum Ecclesiæ non est Petrus : aut si est,
eo cadente, cadet Ecclesia, & Ecclesiâ non cadente, nec ipsum ca-
dere potest.

Quòd si dicas, Petrum Ecclesiam repræsentâsse, & ita hanc
promissionem non tam Petro, quam Ecclesiæ factam. Id verum
est, si velis firmitatem & constantiam fidei Petro promissam,
etiam ad Ecclesiam pertinere, immo propter Ecclesiam factam esse,
quemadmodum soliditas fundamenti est soliditas ædificii, & hoc
ipsum Patres voluerunt ; sicut enim caput totum hominem re-
præsentat, ita Pontifex Max. Ecclesiam toto orbe diffusam ; in cu-
jus rei figuram summus apud Hebræos Sacerdos totum orbem ter-
rarum vesti Pontificiæ inscriptum gestabat, juxta illud *Sapientis 18.
In veste poderis totus erat orbis terrarum.* Et teste Epiphanio *l. de lapidib.
& gemmis* : Idem Pontifex tempore Salomonis Regis, præluens
velut illi Constantiæ & petrini firmitati, quam Christus Vicario
suo promisit, præter gemmas Rationalis, adamantem, binis Sma-
ragdis incinctum, ad pectus gestabat ; qui Deo placato, serenâ luce
perfundebatur, irato verò & accincto vindictæ, sanguineus mica-
bat. Si verò sic Petrum Ecclesiam repræsentâsse dicas, ut tota fir-
mitas, & indeficientia veræ fidei ad Ecclesiam pertineat, excluso
Petro ; imprimis nihil potest dici, quod magis Evangelio repu-
gnet, ejúsque sententiæ : cum sole clarius sit, Christum ad Petrum
loqui, illi fidem polliceri, ejus confessionem præmio afficere, &
denique multis modis & velut anxie laborare, ut Petrum ab aliis
distinguat, eumque solum, non alios designet, nullâ Concilii men-
tione, nullâ Ecclesiæ factâ, nisi quòd hanc dicat se Petro inædifica-
turum. Deinde si hoc modo, quo Adversarii volunt, Evange-
lium

lium intelligas, sensus evadit planè absurdissimus, hic enim erit: Tu es Petrus: & super Ecclesiam, quam repræsentas, ædificabo Ecclesiam meam. Aut ergo Ecclesia sibi ipsi fundamentum est: aut duæ sunt Ecclesiæ, quarum una fundamentum est alterius: aut Petrus est Ecclesiæ fundamentum: & si est, quærimus quæ fieri possit, ut hujus fides & doctrina deficiat stante Ecclesiâ? Quod si ad alios sensus hæc Evangelii verba detorqueas, quasi fundamentum Ecclesiæ non sit Petrus, sed fides Divinitatis Christi, quam professus est: inprimis Evangelio vim facis, cujus tam antecedentia, quàm subsequenta verba omnino ad Petrum diriguntur, occasione ex illius confessione captatâ. Deinde Petri & Pontificis Romani primatum, hoc est, arcem Religionis Catholicæ evertis: hoc enim Evangelii loco aut sublato, aut in alienos sensus exposito, nihil amplius superest, quo adversus Calvinistas, & Lutheranos Primatum defendas.

Ex illo Joannis ult. *Pasce oves meas* (cujus, quæ sit sententia, jam supra vidimus,) hoc argumentum deducitur. Per hæc verba Petrus, ejusque successores constituti sunt Doctores & Pastores totius Ecclesiæ; aut ergo docentes illos, præsertim quæ sunt fidei, tenetur Ecclesia audire, aut non tenetur? si tenetur, ergo illi cum docent, errare non possunt: nam si possent, erraret etiam Ecclesia, quæ illorum doctrinæ tenetur acquiescere. Si verò Ecclesia non tenetur ea credere, quæ summus Pontifex ex verbo Dei credenda esse definit, non tam Petrus, quàm ipsa Ecclesia erit sibi Pastor, immo ipsa Petrum pascet, quia ipsa errantem Pontificem corriget, ipsa ducet, ipsa an Petri sententia cum Verbo Dei conveniat, an secus, judicabit, discernetque, hoc est, quod nunquam factum, nunquam auditum fuit, non ipse Pontifex confirmabit, reprobabitque fidem Concilii, sed Concilium fidem Pontificis: sicque malè Christus Petro dixerit: *Pasce oves meas*: cum potius ovibus & Ecclesiæ dicere debuisset: Si me amatis, pascite Petrum & Vicarium meum: errare hic potest, & in abrupta deferri, & falsa pro veris docere: vos Pastori Pastores este, & cadentem sublevate, hoc est, discipuli Magistrum docete, & oves Pastorem ducite.

Et ne credas nostra tantùm hæc esse argumenta, non verò Sanctorum Patrum, ipsos audi in hanc ipsam sententiam loquentes.

S. Leo Papa ad Episcopos Viennenses epist. 78. Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem semysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset se à Petri soliditate dividere.

S. Augustinus serm. de Cathedra: Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, eò quòd primus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq; contineat.

Origenes in hunc Matth. Locum: Manifestum est, etsi non exprimitur, quòd nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam porta prevalere potuerunt inferorum: nam si prevalerent adversus Petram, in qua fundata Ecclesia erat, contra Ecclesiam etiam prevalerent.

Plures in sequentibus paragraphis dabimus.

IV. Observandum interim est, si adversarii Conciliorum auctoritatem Pontificia ita præferrent, ut tunc solùm Pontificis sententias & definitiones in dubium vocarent, cùm à Concilio improbantur; tolerari utcùmque possent: sed ipsi nullius Concilii expectatâ sententiâ, sibi iudicium arrogant, admittuntque aut excludunt, quæ placent displicentve, ut experientia ostendit, eò solùm prætextu, quòd Papa extra Concilium errare possit: sicque non Concilio tantùm Papam submitunt, sed cujuslibet Episcopi privati que Doctoris censuræ, ab affectu plerùmque dictatæ: quo satis ostendunt, non tam sibi veritatis, & Conciliorum, quam privatam causam cordi esse, ut interim agant, quod lubet,

Concilii obtentu dilatâ, aut etiam extinctâ obsequendi necessitate.



§. III.

*Eadem Papæ Ecclesiam docentis infallibilitas è sa-
cris Canonibus asserta.*

Summaria.

1. *Doctrinam SS. Canonibus contrariam, necessario falsam esse.*
2. *Variis multisque Canonibus demonstratur Constitutiones
Papales in materia fidei certissimas esse.*
3. *Argumentum ex allatis textibus deductum.*
4. *Respondetur ad objecta.*

I.

Summam, nisi fallimur, sacris Canonibus deberi aucto-
ritatem, nemo nisi temerarius negabit. Cum enim
illos summi Patres ediderint, hoc est, Magistri Catho-
lica Ecclesiæ, doctrinâ, pietate, omniumque venera-
tione insignes: cum illos Ecclesia non receperit tantum, sed etiam
velut regulas quasdam, & axiomata veræ incorruptæque doctrinæ
fidelibus tradiderit: cum illos Galli præsertim, aded sanctos, in-
violatosque voluerint, ut in nuperis propositionibus ne quidem
summo Pontifici eos egrediendi potestatem faciant: quid aliud
esset contra Canonum præscriptum aliquid docere, quam supra
sanctos Patres & Ecclesiæ Magistros sapere velle, sibi que, quod
Pontifici non permittitur, usurpare? immo Ecclesiam ipsam corri-
gere, & quos ipsa limites fixit, refigere? nec discipulos nos sacrorum
Canonum, sed Magistros profiteri?

Quod si oratio contra regulas Rhetoricæ, aut Grammaticæ
necessario est babara incultaque: propositio contra regulas Lo-
gicæ falsa: navigatio contra regulas Hydrographiæ temeraria, ac
naustragio proxima: & denique quidquid contra regulas artis
agitur

agitur, rude, impolitumque & erroris plenum; sic omnis opinio contra factas regulas, hoc est, Canones concepta, necessariò est falsa: si enim Canon est regula, & regula semper est recta; oportet & rectum non esse, quod à regula discedit, quemadmodum quod à linea discedit, necessariò est curvum. Aut ergo Canon non est Canon, aut doctrina, quæ à Canonibus discedit, vera non est. Videamus ergo, quid de nostra, & Adversariorum doctrina Canones sentiant, & confecta res erit.

S. Leo I. *Ad Episcopos Vniuersales epist. 87 in c. ita Dominus d. 19. & habetur Tomo 2. Conciliorum: Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Sator instituit, ut veritatis, quæ antea Legis & Prophetarum pæconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem Vniuersitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit; ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo principaliter collocaret: ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet; ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individua unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam: Ut æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hæc Ecclesiam suam corroborans firmitate, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec porta contra illam inferi prævalerent. Verùm hanc Petram istius sacratissimam firmitatem, Domino, ut diximus, ædificante, constructam, nimis impie vult presumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus, non sequendo.*

Nota, summum Pontificem non loqui de sola Petri persona, sed etiam de successoribus Petri, ut patet ex toto Epistolæ contextu, & qui Petri & successorum decretis resistunt, exortes dicere mysterii divini.

S. Hieronymus *in c. hæc est fides 24. q. 1. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamq; semper tenuimus, & tenemus: in quasi minus perire, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumq; me culpæ voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicam,*

non me hereticum comprobabit. Item Sancta Romana Ecclesia, quae semper immaculata mansit, & Domino providente, & beato Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit, sine illa hereticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet.

Idem S. Hieronymus in c. quoniam 24. q. 1. Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper textam per frustra discerpit; & Christi vineam vulpes exterminant, ut inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi; ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censi consulendam; inde nunc mea anima postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.

Venerabilis Beda c. quicumq; eodem. Quicumq; ab unitate fidei, vel societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt regni caelestis ingredi.

Pelagius pp. in c. schisma 24. q. 1. Idipsum enim magis est, propter quod schismatici sunt: quia non eos diversa sentiendi iudicium, sed quaedam apud se delata. sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam Sedem temere credentes pessima divisit opinio. Quod schisma specialiter esse beatus denunciavit Augustinus, dicens de talibus: adversus auctoritatem illarum Ecclesiarum, quae ab Apostolica Sede epistolas accipere meruerunt, temere credendo, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit. Ergo teste Pelagio & Augustino, qui non credit, quod Pontifex Rom. credendum proponit, schismaticus est: ergo Pontifex errare in fide non potest; nam si posset, schismaticus non esset, qui cum illo errante non sentiret.

Neque dicas Pontificem errare non posse, si juxta Verbum Dei doceat, secus si contra. Ridicula exceptio! nec enim speciale Pontificis privilegium hoc est, sed cujuslibet Episcopi, & Doctoris, immo cerdonis, textorisque, ut si doceat juxta Dei Verbum, non erret; tam ergo schismaticus aut hereticus esset, qui contra textorem, quam qui contra Papam sentiret. Et Papa, & qui contra hujus decreta disputat, dicent se Verbo Dei fulciri; quis judicabit interim, quis absolvet, damnabitque?

Concilium, inquis: at Pelagius & Augustinus, non dicunt schismaticum esse, qui Concilio, sed qui Papae repugnant. Et dum Concilium Patresque conveniunt, quid credam interim, quid scribam, dicamque? quod placet? omnino, lite me inter & Papam pendente: magno scilicet, Ecclesiae, pacis, & unitatis bono.

Ppp

S. Lu-

S. Lucius PP. ad Episc. Gallia in Hispan. in c. à recta 24. q. 1. Hæc sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia: quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur: nec hæreticis novitatibus depravata succumbit: sed, ut in exordio normam fidei Christiana percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus manet.

Sixtus PP. II. in c. memor sum 24. q. 1. Memor sum, me sub illius nomine Ecclesie præsidere, cuius à Domino Jesu Christo est confessio glorificata: & cuius fides nullam hæresim unquam fovit, sed omnes quidem hæreses destruit.

Innocentius PP. in c. quoties 24. q. 1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum: id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere (veluti nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit Ecclesius omnibus in commune prodesse.

Calixtus PP. in c. non decet. d. 12. Non decet à capite membra discedere; sed iuxta sacra scriptura testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus convenit deviare. Et sicut Dei filius venit facere voluntatem Patris; sic & vos voluntatem vestra amplectis Matris, quæ est Ecclesia: cuius caput, ut prædictum est, Romana existit Ecclesia. Quidquid ergo sine discretionè justitiæ contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit.

Gregorius IV. Papa in c. præceptis d. 12. Præceptis Apostolicis non durà superbià resistatur; sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia, & Apostolica auctoritate iussa sunt, salutiferè impleantur; si eiusdem sanctæ Dei Ecclesie, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis.

Nicolaus PP. c. si Romanorum. d. 19. Si Romanorum Pontificum decreto, ceterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur: ita ut, quod Sedis Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum: quod si la repulit, hætenus inefficax habeatur: quanto potius, quæ ipsa pro Catholica fide profanis dogmatibus, pro variis, & multis variis Ecclesie necessitatibus & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus, discretionè, vel dispensatione magistrà, reverenter assumi.

Agatho PP. in c. sic omnes d. 19. Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.

Stephanus

Stephanus p.p. in c. enimverò d. 19. Enimverò, quia in speculum, & exemplum sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus praesse voluit, proposita est; ab omnibus quidquid statuit, quidquid ordinat, perpetuò, & irrefragabiliter observandum est.

Nicolaus I. in epist. ad Photium c. si decreta d. 20. Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atq; incuria estis arguendi. Si verò habetis, & nō observatis, de temeritate estis corripiedi, & increpandi,

Idem Nicolaus I. p.p. in c. omnes d. 22. Qui autem Romana Ecclesia privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur: & cum ille vocetur iniustus, hic est procul dubio dicendus haereticus,

Paschalis Papa. in c. significasti de de elect. Ajunt in Conciliis statutum non intervenire; quasi Romana Ecclesia legem Concilia ulla prefixerint, cum omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiantur auctoritas. Cum igitur à sede Apostolica vestra insignia dignitatis exigitis, qua à B. Petri tantum corpore assumuntur: justum est, ut vos quoque sedi Apostolicae subjectionis debita signa solvatis, qua vos cum Beato Petro tanquam de membro habere, & Catholici capitis unitatem servare declarant.

Innocentius IV. Papa in c. majores de Bapt. Majores Ecclesiae causas, praesertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui eum quarenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabat: Tu es Christus filius Dei vivi: & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.

Lucius III. Papa in c. ad absolvendam de haeret. Universos, qui de Sacramento corporis & sanguinis D. N. I. E. S. U. Christi, ut de baptismo, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentirent aut docere non metuunt, quam sacrosancta Rom. Eccles. vel singuli Episcopi per dioeceses suas cum consilio Clericorum, vel Clerici ipsi sede vacante cum Consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum haereticos judicaverint: vinculo perpetui anathematis innodamus.

Et denique Hadrianus Papa in c. generali 25. q. 1. Generali Decreto constituimus, ut execrandum anathema sit, & veluti pravaricator Catholicae fidei semper apud Deum existat, quicumq; Regum, seu Episcoporum, vel Potentum deinceps Romanorum decretorum censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.

III. Ex allegatis Canonicis textibus argumentari sic licet: Vel Adversarii sacros Canones admittunt, vel non admittunt? si non admittunt; illorum ergo doctrina canonica non est, sed irregularis ac exorbitans, & consequenter erronea, nec à Spiritu S. profecta, juxta gravem censuram S. Damasi Papæ in *c. violatores 25. q. 1.* Si verò Canones admittunt, ergo eadem ratione summa Pontificum statuta & Decreta tenentur admittere, hoc enim Canones jubent, nec possunt eo prætextu rejicere, quod Pontifices statuendo erraverint: si enim hoc est, frustra Pontifices statuunt, frustra illis obedire Canones jubent: quia semper, qui obedire non vult, Pontificem errare potuisse dicet; nec unquam, ut in rebus omnibus, ita in Pontificum Decretis causæ deerunt, & rationes tergiversandi, nodumque in scirpo quærendi, quod nimium experientia ostendit. Deinde sacri Canones eos, qui semel à Pontifice Romano definita non recipiunt, schismaticis & hæreticis adscribunt, eosque salutis & fidei expertes dicunt: oportet ergo Pontificum definitiones certas omnino esse, nec errori subjectas: nec enim hæreticus aut schismaticus est, qui non recipit incerta, qui dubia non credit, quique probabili doctrinæ adheret. Tandem certum est ex præfatis Canonibus, esse summo Pontifici auctoritatem in aliquo saltem casu aliqua definiendi, ita ut fideles teneantur definitioni acquiescere, & nisi acquiescant, iis censuris, quas diximus, perstringantur: in quo ergo casu hanc definiendi potestatem Papæ concedunt? an tunc solum, cum de re definienda palam & clarissime omnibus constat, quæque à nullo negatur? at hoc ridiculum & otiosum est: res enim, de qua constat, quæque apertè, & apud omnes in confesso est, definitione non eger, nam Solem lucere, ardere ignem, sine Bulla, & plumbo & diplomate videmus. Ergo hæc potestas definiendi, quam Canones in Pontifice agnoscunt, obsequendique necessitas, locum in re dubia habebit, quamque alii negant, alique affirmant: tunc Pontificis partes sunt nodum truncare litemque finire: nostræ verò, credere, obsequi, nec amplius causam jam pacatam turbare. Si ita est, nemo ergo salvis Canonibus in dubium vocare potest, multoque minus negare, Pontificiam auctoritatem, cum Ecclesiam docet, & de fide pronuntiat, infallibilem esse, errorisque immunem: hanc enim questionem olim ambiguam, Pontifices à Cathedra definiverunt, Clemens videl. V. in Concilio Viennensi. Clement. de S. Trinit. Eugenius IV. *sess. ult.*

sess. ult. Concilii Florentini. Leo X. sess. 11. Concilii Lateran. Sixtus IV. in Concilio Complutensi contra Petrum Oximensem. (a)

Rursus: si, ut ex allegatis Canonibus evicimus, in re dubia & utrimque disputata, sententia Pontificis Romani necessario tenenda est: cum semper hujusmodi Pontificum sententia & definitiones sint de re prius dubia, & disputata; necessario tenenda erunt, dubiamque omne absolvant, & qui illis obloquitur, in Canonum censuras incurret.

IV. *Dices 1.* Non esse standum Papae definitionibus & doctrinâ, quando cum verbo & doctrina Dei pugnant: tunc enim magis Deo quam hominibus obediendum est.

R. Hypothesin fingi impossibilem, ut Papae videl. è cathedra docentis sententia, cum veritate & fide pugnet: sed demus hanc hypothesin impossibilem, qualis fuit illa B. Pauli ad Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis praterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Si ergo Papa contrarium aliquid scripturae pro cathedra doceret, idque constaret, credendum utique non esset: sed quamdiu non constat, (ut planè numquam constabit:) ejus definitiones, qui non accipit, certasque habet, multoque magis, qui oppugnat, ex Canonum sententia, profanus, naufragus, Spiritui S. infestus, schismati & haeresi innexus est, sic enim Canones loquuntur.

Dices 2. Canones quos produximus, summorum Pontificum esse, qui cum in propria causa loquantur, fidei suspecta sunt.


R. Non hinc summorum Pontificum, sed Ecclesiae & fidei causam agi, in qua ex factorum Canonum sententia, Praelatus non testis tantum, sed iudex esse potest. Et quis summorum Principum lites, nisi ipsi, decidunt, qui superiorem non habent. Immo haec ipsa exceptio non Pontificem tantum, sed Episcopos, Conciliumque excludit, de quorum aequè causa & potestate agitur. Deinde non soli sunt Pontifices, qui pro se dicunt; sed & Concilia, & Patres, & praxis Ecclesiae, & ferè Doctores omnes, ut postea dicemus: immo si soli Pontifices essent, ii tamen, plerique & sancta & Martyres sunt, in quos nulla cadit mendacii, ambitionis,

Ppp 3

vanita-

(a) Vide Raynaldum ad annum MCDLXXIX. n. 32. & Bullarium in Sixto IV. Constitut. 17.

vanitatis, usurpatique juris alieni suspicio, quique merito cum Christo dicere possunt: *Et si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est.*




§. IV.

Pontificis Maximi in rebus fidei discernendis infallibilitati Concilia suffragantur.

Summaria.

1. *Testimonium Concilii Niceni.*
2. *Et Alexandrini sub S. Athanasio.*
3. *Et Carthaginensis.*
4. *Et Ephesini.*
5. *Et Chalcedonensis.*
6. *Et Constantinopolitani sub Agathone.*
7. *Et quinta ac septima Oecumenica Synodi.*
8. *Et Concilii Generalis Romæ sub Nicolao II.*
9. *Et Conciliorum primi & secundi Lugdunensis: professio Ecclesie Græcæ.*
10. *Et Concilii Lateranensis ultimi, cui & Rex & Ecclesia Gallicana adherere professæ est.*
11. *Respondetur ad objecta.*



I.



N Concilio Nicæno quod Anno cccxxv. celebratum est c. 18. hæc leguntur: *Omnes Episcopi in gravioribus causis liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas Apostolorum auctoritas reservavit.* Citat hunc Canonem

Canonem ex Concilio Nicæno S. Julius I. in epist. 2. contra Orientales pro Athanasio, & habetur Tomo 1. Conciliorum post Concilium Nicænum: idemq; habet Pelagius II. in c. multis d. 17. & de Canonibus Concilii Nicæni jam supra Lib. 2. diximus. Si ergo majores & difficiliores causæ, inter quas sunt utiq; causæ fidei, Apostolicæ sedis reservantur; oportet hujus sententias esse infallibilis auctoritatis: alioquin non Pontifici reservandæ forent, sed Concilio: & sicut fides certa est, nec ullum admittit dubium, ita sententia cui reservantur causæ fidei, debet esse certa, & dubii experta; ubi enim sententia non est certa, etiam id quod per sententiam pronuntiatum est, non est certum; & si certum non est, non potest esse dogma & objectum fidei.

II. In Synodo Alexandrina Præsidi M. Athanasio Episcopi Ægypti, Thebaidos, Libyæque ad S. Felicem II. Papam & M. circa annum CCCLIX. quorum Epistola Tomo 1. Conciliorum habetur, hæc scribunt: *Ideo Pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra sancta Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam & summam experimus juxta Canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes & dogmata (NB.) ceperunt. Et infra. Similiter à supradictis Patribus Concilii Nicæni est definitum consonanter, ut si quisquam Episcoporum iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi ac solvendi speciali privilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum & immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum lucidissimam Dominus Jesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est etiam sacer vertex, in quo omnes Ecclesia vertuntur, sustentantur, relevantur: tu profanarum hæresum atque omnium infestantium depositor, ut princeps & Doctor, Caputque omnium Orthodoxæ doctrinæ & immaculatæ fidei existis, &c.* Hæc Athanasius, & cum illo Synodus Alexandrina: ex quorum sententia, si Papa dogmata condit, si est firmamentum à Deo fixum & immobile, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur & sustentantur; si omnium hæresum profligator; si Princeps, Doctor, Caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei; planè sequitur, infallibilem esse, & quæ ab illo definita sunt, eo prætextu, quod errare possit, repelli haud posse: alioquin omnia illa Athanasii encomia adulationes sunt, & verba sensu vacua, captandæ gratiæ tantum adornata.

III. De

III. De Concilio Carthaginensi circa annum ccccxi. hoc habet S. Innocentius I. P.P. in epist. ad Concilium Carthag. quæ habetur Tomo I. Conciliorum: *Antiqua traditionis exempla servantes, & Ecclesiastica memores disciplina, nostræ religionis vigorem non minùs nunc consulendo, quàm antea cum pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbâstis esse judicium, scientes quid Apostolica Sedi (cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerfit. Quem sequentes, tam mala jam damnare novimus, quàm probare laudanda: vel id verò, quod Patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humanâ, sed divinâ decrevêre sententiâ: ut quicquid, quamvis de disjunctis, remotisq; Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate (justa qua fuerit) pronuntiatio firmaretur: indeq; sumerent cetera Ecclesie (velut de natali suo fonte aqua cuncte procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorrupte manarent:) quid præcipere, quos ablucere, quos veluti in cano inmundabili sordidatos, mundi digna corporibus unda vitaret.*

Vides hîc iterum testari Innocentium, ultimam fidei definitionem ad Papam spectare, ab hoc velut natali fonte sanam sinceramque doctrinam fluere: ab hoc alios Episcopos, Ecclesiâsque omnes disce-re, quos absolvere, quos damnare hæresis oportet: quæ omnia falsissima sunt, si Pontifex Ecclesiam docens errare potest, tunc enim ab aliis corrigi & doceri debet: nec illius sententiâ, utpote incerta, fidei quæstiones finire potest, sed ad aliud forum, aliûmve doctrinæ fontem recurrendum erit.

IV. In Concilio Ephesino Anno ccccxxxi. Cælestinus Papa, cum hæresin Nestorianam ipse in Romana Synodo prædamnâisset, Legatos quidem Ephesum ad Concilium misit, sic tamen, ut sententiam Romæ datam exsequerentur, certamque Patribus Regulam præfigerent, juxta quam Nestoriû contumaciter erroribus insistentem damnarent: sic enim habetur T. 1. Concilior. in Actis Concilii Ephesini Tomo 2. c. 15. Evagrio l. 1. histor. c. 4. Epist. synodali Cælestini in versione Cresconiana apud Baron. ad annum ccccxxxi. & Spondan. ibid. n. 4.

Si ergo Papa hæreses ante Concilium damnat, & quos damnavit à tota Ecclesia pro hæreticis damnari jubet: si Concilii sententiam, quâ teneantur, præscribit; ergo minùs quàm ipsa Conci-

Concilia errare potest: alioquin non ipse Conciliis, sed hæc Pontifici credenda præcriberent: quod enim hoc paradoxum, ut qui eget doctrinâ doceat, qui non egent doceantur? quique errare à via potest, eos ducat, qui errare non possunt, hoc est, cæcus, confuso rerum ordine, à vidente, magister à discipulo discat, & fons à rivulo bibat?

In Concilio Carthaginiensi sub Damaso Papa, qui Anno CCLXVII. electus est & CCLXXXIV. mortuus; Stephanus Archiepiscopus, & tria Africa Concilia in *epist. ad S. Damasum, quæ habetur Tom. 1. Concilior.* & Damasus in responsoria ad eosdem Episcopos, apertè profitentur: *sed Romana Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, & sententiam de divinis rebus reservatam esse. Apostolicam hanc sedem firmamentum esse à Deo fixum & immobile omniumque verticem Ecclesiarum.*

V. In Concilio Chalcedonenſi Anno CCCCII. prout citat S. Thomas in opusculo contra errores Græcorum: *si quis Episcopus predicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum petram refugium, & ipsi soli liberâ potestate loco Dei sit jus discernendi secundum claves à Domino sibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tanquam à Vicario Apostolici throni.* Et in condemnatione Dioscori Patres sic acclamârunt: *Sanctissimus Archiepiscopus Magnæ Romæ unâ cum ter beatissimo Petro, qui est petra & crepido catholica Ecclesia & ille, qui est rectæ fidei fundamentum (NB.) nudavit eum Episcopatus dignitate.* Et in epistola Synodali ad Leonem gratulantur Patres: *Quod tantum Antistitem Apostolicæ sedi, unde Religionis nostræ fons & origo manat, Dominus dederit. Et in epist. Synodali ad Patres Concilii Leo Papa negat dogma fidei à se contra Eutychen & Dioscorum semel declarata, in dubium aut disputationem vocari debere: neque Legatos à se mitti, qui rem decisam definitamque in litteris ad Flavianum datis, examini iterum subdi permittant, sed qui definita exequantur.* Hæc omnia evincunt Papam in causis fidei errare non posse, nam si potest, cur non liceat ejus sententias à Concilio examinari, emendarique? sed audi ipsum Leonem: *Neque enim abjuncta est à vobis mea presentia, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum fidei Catholica prædicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiam. Unde, fratres charissimi, rejectâ penitus audaciâ disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana erran-*

tium infidelitas conquiescat: cum non liceat defendi, quod non liceat credi, cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, Apostolicamq; doctrinam, plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad beata memoria Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, qua sit de Sacramento Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio.

VI. In sexta generali Synodo, anno DCLXXXI. quæ habetur Tomo 3. Conciliorum, S. Agatho Papa in epist. ad Constantinum Augustum non permittit Concilio, *ut aliter in causa fidei pronuntient, quam suis Legatis Pontifex injunxerat, suæq; definitioni nihil addi, nihil minui, sed juxta traditionem Apostolicæ Sedis ut à Prædecessoribus suis conservata est, omnia desiniri.*

Hæc utiq; supponunt Pontificem Romanum non tantum errare non posse, sed ejus etiam Officii esse regulam credendi, docendique, Concilio præscribere. Sed hanc Pontificis infallibilitatem in eadem epist. (quam summis laudibus extulit, approbavitque eadem sacra & generalis Synodus Act. 4. & 18.) adeò clarè Agatho expressit, ut nihil clariùs dici potuerit; sic enim loquitur: *Cujus adnitente presidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia, nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est. Cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis sequuta sunt, omnesq; venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, &c. & sancti quidem Doctores orthodoxi, venerati atque sequuti sunt: hæretici autem falsis criminationum odiis insecuti, &c.*

Hæc Apostolica Christi Ecclesia, per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio normam fidei Christiana percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus manet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangelis fecit: *Petre inquit, ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaq; vestra clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, qui fidelis est, & fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres admonuit.*

Ex Conciliis Africanis, quæ anno DCLVI. quatuor Primates Africa in subjectis sibi Provinciis convocârunt, data est Synodalis ad Theodo-

Theodorum PP. epistola, in qua, inter alia: *Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum esset, nisi ad notitiam Altissimæ Sedis Apostolicæ fuisset deductum, ut ejus auctoritate justâ qua fuisset pronuntiatio firmaretur, indeq; sumerent cetera Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis.* Videatur Spondanus ad hunc annum &c. & Acta Synodi Lateranensis, sub Martino Papa.

VII. In quinta Generali Synodo anno DLIII. Act. 4. in sententia, quam contra Anthimum Mennas Patriarcha Constantinopolit. pronuntiavit, hæc habentur. *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, sicut charitas vestra scit, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.*

In septima Synodo Act. 2. lecta & approbata est epistola Adriani II. Ad Tharasium Patriarcham, ubi expressissimum Pontificiæ infallibilitatis testimonium extat, sic enim inter alia habet:

Cujus etiam Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens læcet, omniumq; Ecclesiarum Dei caput existit. Unde & ipse Beatus Petrus Apostolus, Dei jussu Ecclesiam pascens nihil omnino prætermisit, sed ubiq; Principatum obtinuit & obtinet: cui etiam & nostra beata & Apostolica Sedi, qua est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim beata vestra sanctitas ex sincera mente & toto corde agglutinetur, utpote, qua reverè sit rectè sentiens, & pietatis incorruptæ conservatrix. Hoc sacrificium primum omnipotenti Deo exhibeatur. Vestraq; beatitudo magnos & piissimos nostros Imperatores supplicibus verbis admonebit, ut Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes, coram Deo & horribili ejus judicio, venerandas imagines in regia civitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent, jubentq;: nimirum servantes traditionem hujus sanctissimæ nostræ Romana Ecclesiæ.

VIII. In Concilio Generali Romæ habito anno MLIX. sub Nicolao II. inter alios canones, hic etiam fuit: *Si quis dogmata vel decreta pro Catholica fide, aut Ecclesiastica disciplina à Sedis Apostolicæ Præsule promulgata contempserit, anathema sit.* Habetur hic Canon in c. si quis. 25. q. 2. &c. ad abolendam. de hæretic.

IX. Concilium Lugdun. primum anno MCCXLV. sub Innocentio IV. in c. un. de homicidio in 6. Pro humani redemptione generis, de summis Cælorum ad ima mundi descendens, & mortem tandem subiens

temporalem Dei filius Iesus Christus, ne gregem sui pretio sanguinis gloriosius redemptum, ascensus, post resurrectionem ad Patrem, absq; Patre desereret, ipsius curam B. Petro Apostolo (ut sua stabilitate fidei, ceteros in Christiana Religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera sua accenderet devotionis ardore.) commisit.

Concilium Lugdunense 2. sub Gregorio X. anno MCCLXXIV. inc. unico de summa Trinit. in 6. Fidei ac devotâ professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno Principio: non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione, procedit. Hoc professus est hæcænis, prædicavit, & docuit, hoc firmiter tenet, & prædicat, proficitur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia: mater omnium fidelium & magistra.

In eodem Lugdunensi Concilio Michaëlis Palæologi Imperatoris & Orientalis Ecclesiæ Legati Professionem fidei orthodoxæ ediderunt, quæ & à Synodo Lugdunensi recepta est, & infallibilitati Pontificiæ apertissimum suffragium dedit: videri ea potest apud Raynaldum ad annum MCCLXXIV. n. 24. & inter alia hæc habet: Ipsa quoq; S. Romana Ecclesia summum & plenum primatum, & principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si qua de fide suborta fuerint, quæstiones, suo debent iudicio desiniri.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. Anno MCCXV. inc. damnamus de summa Trinitate: Maxime cum ipse Joachim omnia sua scripta nobis assignari mandaverit Apostolica sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans Epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, qua disponente Domino, cunctorum fidelium mater est & magistra. Reprobamus etiam, & condemnamus perversissimum dogma impii Amariæ, cuius mentem sic pater mendacii excacavit, ut ejus Doctrina non tam hæretica, quam insana sit censenda.

Concilium denique Lateranense sub Julio II. & Leone X. cui Germania, Hispania, Anglia, Dania, Norvegia, Scotia, Italia, & Hungaria amplissimis Legationibus missis adhæserunt, ut videre est apud Raynaldum ad annum MDXII. n. 53. Et Ludovicus Galliæ Rex per suos Oratores acta Concilii Pisani damnans, hoc ipsam

ipsum Lateranense pro legitimo & Oecumenico agnovit, eique se adherere professus est, ut habetur in actis ejusdem Concilii *sess. 8.* *Tomo 5. Conciliorum, Veneta edit.*

Idem à Gallix Prælati factum, qui & ipsi Pisanum Conciliabulum execrati, professi sunt se, & adherere, & semper adhæsuros Concilio Lateranensi, ut videre est in actis Concilii *sess. 9.* In hoc ergo Concilio à Gallis, ut diximus, etiam recepto *sess. 11.* ex professo definita est suprema Pontificis Romani supra Concilium auctoritas, & consequenter omnimoda infallibilitas. In eadem *sess. 11.* rescissa est fatalis illa & Pragmatica sanctio, quæ Carolo VII. Rege in Bituricensi Conventu, vigente Basileensi schismate adversus Romanorum Pontificum auctoritatem lata fuerat, quamque jam dudum anno videlicet MCDLXII. sub Pio II. Ludovic. XI. in publico Cardinalium Senatu revocaverat.

XI. Hactenus Conciliorum testimonia : Ad objecta jam transeamus.

Dices 1. Quæ hactenus ex Conciliis producta sunt, tantum probare, summi Pontificis judicium in fidei quæstionibus irrefragabile esse, quando Ecclesiæ consensus accessit, non verò, si Ecclesiæ consensus nondum accessit : Ecclesiam enim errare non posse, & ab hujus acceptatione pendere, quam firmitatem Pontificum decreta habeant, vel non habeant.

2. Hujus restrictionis falsitatem ex multis convinci posse. *Primò.* Quia, ut vidimus, Concilia hanc ut maximam & specialissimam prærogativam Pontifici Romano uni & soli concedunt, fundantque super illa Christi promissione : *Super hanc Petram fundabo Ecclesiam meam, &c. Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, &c.* At verò Decreta condere, doctrinamque aliquam proferre, quæ tunc primùm sit certa, & extra suspensionem erroris, cum ab Ecclesia recipitur ; non est solius Pontificis Rom. prærogativa, sed cujuslibet Episcopi, immo privati Doctoris, cujus opinionem & sententiam aliquam si Ecclesia recipiat, evadet utique certa, & dubii expers ; sed hæc certitudo non ad Doctoris ipsius, sed Ecclesiæ privilegium spectat ; at verò Concilia de Privilegio Pontifici & soli concessio loquuntur. *Secundò.* Si Pontificis de fide sententia certa non est, nisi post Ecclesiæ consensum : ergo ante consensum erat incerta ac errori obnoxia, ergo recipi poterat, aut re-

pellî, sed Concilia eos, qui Pontificum Decreta non recipiunt, pro schismaticis, naufragis in fide, perditisque habent; ergo supponunt jam antè firma, & certa esse, quàm ab Ecclesia recipiantur, immo recipi debere. *Tertiò.* Certum est ex Conciliis citatis, Pontificem Romanum esse Pastorem, Doctorem & Magistrum Ecclesiæ universalis, ut expressè habetur in Concilio Constantiensi *sess. ult.* Florent. *sess. ult.* Lugdun. *c. ult. de S. Trinit. in 6.* Lateranensi sub Innocent. III. *c. damnamus de S. Trinit.* Si ergo discipuli partes ad Ecclesiam spectant, Magistri & Doctoris ad Papam; quilibet animo secum reputet, possitne credi divinam providentiam, quæ omnia suaviter, & ad singulorum naturam accommodè disponit, voluisse plus doctrinæ, certitudinis, ac lucis Discipulo affundere, quàm Magistro: & Magistri doctrinam, à doctrina discipuli pendere: & quod discipulus probaret, ratum fixumque esse, quod Magister, dubium, anceps, & in lubrico positum. Denique aut errat providentia, quæ Discipulo plus tribuit, quàm Magistro: aut errant Concilia, quæ Pontificum Decretis omnem certitudinem, parendique necessitatem adscribunt: aut errant illi ipsi, qui hæc omnia Pontifici adimunt.

Dices 2. Concilia non omnimodam infallibilitatem Pontificum decretis asserere, sed primas tantùm in rebus fidei partes, magnamque auctoritatem, non tamen necessariam.

R. Hoc ipso quod Concilia pro *schismaticis*, pro *naufragis*, pro *anathemate dignis*, pro *ejectis ab Ecclesia Catholica* habent, qui Pontificum decreta non recipiunt, suamque fidem illis accomodant; omnino sequi Pontificis auctoritatem infallibilem esse; nulla enim est auctoritas tam magna, cui si certa non est, sine hæresis aut schismatis nota contradicere non liceat, ut eleganter docet S. Augustinus *epist. 19. ad Hieronymum*: & passim *tota d. 9.* Et esto sine hæresi Pontificum de fide sententias impugnare possis, non potes tamen, si Conciliis credi debet, sine temeritate, sine periculo: quæ ergo aut imprudentia est, aut cæcus animi impetus, malle temeritatis notari, exponique fidei naufragio, quàm obsequi? Et tandem Concilia non solum dicunt Pontificis Romani sententias in causis fidei magnæ auctoritatis, sed etiam *definitivas* esse, quæque *litem omnem absolvant, ac dubiis finem imponant*: & quibus *Concilia nihil addere possint, nihil detrabere*; quæ omnia absolutissimam & omnimodam infallibilitatem arguunt, multoque majorem, quàm ipsis Conciliis instr.

trum doctrina deficerent, novamque, proscriptâ antiquitate proferrent: sicut ex adverso idem semper fuit, Catholicè, & cum Patribus sentire; cum enim Catholica Ecclesia, hoc est, fidelium multitudo, semper id crediderit, quod à Patribus audiebat, legebatque (quæ enim aliter crederet sacrarum litterarum majori ex parte imperita?) necessariò sequitur, eandem fuisse Patrum & Ecclesiæ sententiam fidemque; de quo argumento vide eleganter Melchiorem Canum *de locis Theologicis* l. 7. S. Clementem *in c. relatum*. S. Bernardum *in epist. 190*, ubi inter alia hæc scribit: *Habemus in Francia novum de veteri Magistro Theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte dialectica luserit, & nunc in scripturis sanctis insanit. Olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet, quam aliena suscitare conatur, in super & nova addit. Qui dum omnium, quæ sunt in cælo sursum, & quæ in terra deorsum, nihil præter solum, nescio quid, nescire dignatur, ponit in cælum os suum, & scrutatur alta Dei, rediensq; ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui.*

Et infra: *Nonne omnium merito in se provocat manus, cujus manus contra omnes? omnes, inquit, sic: sed non ego sic. Quid ergo tu? Quid melius affers? quid subtilius invenis? Quid secretius tibi revelatum scietas? quod præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furivas & panes absconditos puto apponet nobis iste. Dic tamen, dic quidquid illud est, quod tibi videtur & nulli alteri. An quod filius Dei non ut hominem liberaret, hominem induit? Hoc planè nemini te excepto videtur; tu videris, ubi videris. Non enim hoc à sapiente, non à Propheta, non ab Apostolo, non denique ab ipso Domino accepisti. Magister gentium accepisti à Domino, quod & tradidit nobis. Magister omnium suam Doctrinam fatetur non esse suam: Non enim, ait, a me ipso loquor, tu verò de tuo nobis tradis, quod à nemine accepisti. Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Tibi proinde sint, quæ tua sunt.*

Ego Prophetas & Apostolos audio, obedio Evangelio secundum Petrum. Tu nobis novum condis Evangelium? quantum Ecclesia Evangelistam non recipit. Quid lex, quid Propheta, quid Apostoli, quid Apostolici viri nobis aliud evangelizant, quam quod solus tu negas, Deum videlicet factum hominem, ut hominem liberaret? Et si Angelus de cælo aliud nobis evangelizaverit, anathema sit, sed qui venerunt post Apostolos Doctores non recipis, homo qui super omnes docentes te intellexisti. Deniq; non erubescis dicere, quod adversum te omnes sentiant, cum ab invicem non dissentiant. Frustra proinde illorum tibi fidem doctrinamq; proponerem, quos jam proscripsisti.

Siergo

Si ergo ostenderimus sententiam, quam defendimus, omnium Patrum esse; lequetur, aut Patres omnes, & cum illis errasse Ecclesiam; aut errare illos, qui aliud quam Patres, quam Ecclesia sentiunt.

II. S. Irenæus l. 3. c. 3. adversus hæreses: *Quoniam igitur, inquit, valde longum esset omnium hic Ecclesiarum enumerare successiones, maxima & antiquissima, ac ab omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis, Petro & Paulo fundata Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis & annuntiatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum ad nos usque, pervenientem judicantes confundimus omnes, qui quoquo modo, vel per sui placentiam, vel vanam gloriam, vel per cacitatem & sententiam malam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorum Principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt ubique fideles, in qua ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis traditio. Nota Irenæum dicere: oportere omnem Ecclesiam in rebus fidei cum Ecclesia & sede Romana convenire: per fidem & doctrinam successorum Petri confundi omnes hæreticos: in hac eadem sede conservatam semper fuisse Apostolicam fidem & traditionem, quæ omnino infallibilitatem arguunt Romanæ Cathedræ.*

S. Cyprianus l. 1. epist. 3. *Post ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hereticis constituto navigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam Principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est,) ad quos perfidia non possit habere accessum. Et l. 4. epist. 8. Nos singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos esse, ut Ecclesia Catholica radicem & matricem agnoscerent, & tenerent.*

S. Ambrosius orat. funebri de excessu fratris sui Satyri: *Advocavit ad se Satyrus Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam, percontatusque est ex eo, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret.*

Idem S. Ambrosius epist. 11. ad Ageruchiam: *In omnibus Romana Ecclesia formam, & typum sequimur.*

S. Augustinus contra Julianum Pelagianum l. 1. c. 4. *Puto eam tibi partem orbis sufficere debere, in qua primū Apostolorum suorū voluit Dominus Gloriosissimo Martyriū coronare. Ecclesia præsentem Beat. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosā juventutem tuam Pelagianis laqueis*

exuisses. Nihil enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Concilio, nisi quòd antiquitus Apostolica sedes & Romana, cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia. Huic vide quid respondeas, qui cum Irenao, Cypriano, Hilario, Ambrosio confidet, etsi posterior tempore, prior loco.

Idem S. Augustinus epist. 157. In verbis Apostolica Sedis tam antiqua atq; fundata certa & clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.

Et l. 2. contra Pelagium & Celest. c. 7. Celestius B. Papæ Innocentii literis non est ausus obistere, immo se omnia, qua illa sedes damnaret, damnaturum esse promisit.

Et l. 2. c. 3. contra duas epistolas Pelagianorum: Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est, totoque Orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est.

S. Innocentius I. PP. cujus in modò allegatis locis S. Augustinus meminit in epistola responsoria ad Legationem Patrum Africanorum: Patres olim non humanâ, sed divinâ decreverè sententiâ, ut quidquid in disjunctis remotisq; Provinciis ageretur, non prius ducerent definiendum, quàm ad illius sedis notitiam perveniret, ubi tota ejus auctoritate, juxta qua fuerit pronuntiatio, confirmaretur.

Scientes, quòd per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, præsertim quoties fides ratio ventilatur: quòd arbitrator omnes fratres & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.

III. S. Hieronymus epistola 57. ad Damasum PP. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tua, id est, cathedra Petri communionem censocior, super illam Petram adificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, qua Syriam juncto Barbaria sine determinat, ne possim sanctum Domini, inter jacentibus spatiis à sanctimonia tua semper expetere: idcò hîc collegas tuos Egyptios confessores sequor, & sub onerariis navibus parva navicula delitescò. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumq; tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Idem epistola 8. ad Demetriadem c. 9. Et quia vereor, immo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere, & pullulare venenata plantaria, illud
te pio

te pio charitatis affectu premonendam puto, ut S. Innocentij, qui Apostolica Cathedra, & supra dicti viri successor, & filius est, teneas fidem, nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidæque videaris, doctrinam recipias.

Idem contra Ruffinum l. 3. c. 5. Et tamen miror, quomodo probaverit Italia, quod Roma contempserit: Episcopi susceperint, quod sedes Apostolica condempnavit. Et c. 6. Innocentem te vocas, ad cuius interpretationem Roma contremuit: absentem, qui accusatus respondere non audes, & tantum Romana urbis iudicium fugis, ut magis obsidionem Barbaricam, quam pacata Urbis velis sententiam sustinere. Et l. 3. Apologia: Scito Romanam fidem Apostolico ore laudatamejusmodi prastigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiet, quam semel predicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.

Idem epistola 58. ad Damasum Papam: Si rectum putatis, tres hypostasies cum suis interpretationibus debere nos dicere: Non negamus, sed mihi credite, venenum sub melle latet.

Idem epistola 77. Sabelliana heresis & impietatis arguor, inquit, tres subsistentes, veras, integras, perfectasq; Personas indefessa voce pronuntians. Si ab Arianis! merito. Si ab Orthodoxis! qui huiusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt. Aut si eis placet, hereticum mecum occidente, hereticum mecum Aegypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condempnent. Quid unum hominem, exceptis sociis criminantur? si rivus de rivis fluxit! non est alvei culpa, sed fontis.

S. Cyrillus Alexandrinus epistola ad Coelestinum Papam: Quamvis hec ita se habeant, non prius tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quam hac ipsa pietati tua indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, declarare; quò liquido nobis constet, communicarène nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac predicat.

Theodoretus Cyri Episcopus epist. ad Leonem Papam: Est enim ipsa sedes Romana anopliissima, splendidissima, & orbi presidet. Praterè ipsa principatum Imperatorum profudit, ac nomen suum, id est, Romanum, cum iis, qui in ditione ejus sunt, communicavit. Fides verò præcipue eam ornatur: testis est Paulus, qui clarissima voce ait: Fides vestra annuntiat in universo mundo, &c. Ego verò suffragium Sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro atq; obsecro sanctitatem vestram, ut ea me, tribunal vestrum, justum, ac rectum appellantem, defendat, ac protegat, jubeatq; ut ad vos accurram, & doctrinam meam vestigiis Apostolicis insistentem ostendam;

vestram sententiam exspecto: quod si sententia eorum, qui condemnarunt, acquiescere jusseritis, acquiescam, nulli deinceps futurus molestus. Quin potius, exspectabo incorruptum Dei & Salvatoris nostri tribunal.

Idem epistolâ ad Renatum Presbyterum: Quamobrem deprecor te, ut sanctissimo Archiepiscopo (Leoni Papa) suadeas, ut Apostolicâ auctoritate utatur, jubeatq; ad vestrum Concilium adire. Tene enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cum propter aliam quia semper heretici foetoris experta mansit, nec ullus unquam, qui contrarium sentiret, in ea sedit: quin potius Apostolicam gratiam puram custodivit. Quare qua ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacumque erunt, judicii vestri integritate confisi, amplectemur.

Joannes Patriarcha Constantinopolit. epist. ad Hormisdam PP. Prima salus recta fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deviare: quia non potest Domini nostri pratermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Hac, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur religio.

Theodoretus exempl. ex V. lege: Quod si Paulus proco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis, qui Antiochia de institutis legalibus contendebant, ab ipso adferret solutionem, multo magis hi, qui abjecti sunt & pusilli, ad Apostolicam Sedem debent accurrere, ut Ecclesiarum ulceribus medicinam à Petri successore accipiant.

Maximianus Constantinopolit. Patriarcha: Omnes fines terra, quae Dominum sincere receperunt, & ubiq; terrarum Catholici veram fidem confidentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicae, & Apostolicae fidei recipiunt. Nec immerito, quia Petrus legitur primae perfectam fidem esse confessus, Domino revelante, cum dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, &c. Decebat tanta dignitatis & sapientia virum non ab alio caelestis mysterij arcana requirere, nisi ab eo potissimum, quem non potuit caro & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire: Beatus es, inquit, Simon Barjona, &c. Hunc enim de ceteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii jure concessit, ut quisquis divinum aliquid aut profundum nosse desiderat, ad hujus praeceptionis oraculum, doctrinamq; recurrat: ne illi humiliter referre, quod solvendum est, erubescat, etiam si ipse, quod quaeritur, non ignoret.

Tertullianus de praescript. Inde à Romana Sede nobis auctoritas praescripta est:

est: hac enim felix Ecclesia est, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.

S. Cyprianus l. 1. epist. 8. Pseudoepiscopo sibi ab hereticis constituto, Romam navigare audent; & ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo predicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.

S. Flavianus epist. ad Leonem PP. Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, quâ debeat consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Si enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eum facta sunt, facillime destruentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubiq; sanctissima turbentur Ecclesie.

Patres Tarraconenses in epist. ad Hilarium PP. Leonis successorem: Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam: inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil presumptione, sed Pontificali totû deliberatione præcipitur.

S. Gelasius Papa in epist. ad Episcopos per Lucaniam, Siciliam, &c. Indignum est quemquam Pontificum hanc observantiam refutare, quam Beati Petri Sedem & sequi videat & docere; satisq; conveniens est, ut totum corpus Ecclesie in hac sibi met observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesie totius posuit Principatum.

IV. S. Fulgentius in libro de Incarnat. Verbi, & Gratia ac libero arb. Idem quod duorum magnorum luminarium Petri scilicet Pauliq; verbis, tanquam splendidibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi caput est, tenet & docet Ecclesia; totus cum ea Christianus orbis, & ad justitiam nihil hesitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.

S. Agapetus in epist. ad Patres Carthagine congregatos: Constituentes, ut si quis Catholica nostra fidei contraire tentaverit, quam pro submovenda hereticorum suspitione paternis regulis consentaneam præsentis definitione firmamus, sanctæ communionis efficiatur extraneus.

S. Gregorius Magnus l. 4. epist. 52. Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emergerit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine, iudicio sedis Apostolicæ indigeat; examinata diligentius veritate, relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat

congruâ sine dubio sententiâ terminari. Idem habet l. 7. epist. 31. & 32. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus epistolâ ad Stephanum Episcopum: De finibus terra usq; ad terminos ejus ambula, donec ad Apostolicam sedem, ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias.

S. Theodorus Studita epist. ad Paschalem Papam: Audi Apostolicum caput, pastor ovium Christi à Deo electe, claviger Regni Cœlorum, p[er]tra fidei, super quam edificata est Ecclesia Catholica, & c. Huc ades, ab Occidente exurge, & ne repellas in sinem. Tibi namq; dixit Christus Deus noster: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Idem epist. ad Michaëlem Imperatorem: Si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra divina Magnificentia, ejus rei explicatio à Pontifice piè est postulanda: magna & à Deo firmata manus vestra, ut publica cupida utilitatis, jubeat à veteri Roma capere declarationem, ut à principio à Patribus nostris est traditum. Ea, o Christi imitator, inter omnes Ecclesias Dei summum & supremum obtinet locum: cujus Petrus tenuit primam sedem, ad quem dicit Dominus: Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam.

Idem epistolâ ad Naucrarium: Testor nunc coram Deo & hominibus, divisi sunt à corpore Christi, & à suprema sede, apud quam Christus deposuit claves fidei, adversus quam porta inferi à seculo non prævaluerunt, nec prævalebunt usque ad consummationem ejus, hereticorum videlicet effrenata ora, secundum promissionem veracis Domini.

S. Ignatius Patriarcha Constantinopolit. epist. ad Nicolaum Papam, qua habetur in Actis octavae synodi Act. 3.

Patres Concilii Milevitani epistolâ ad Innocent. cujus meminit S. Augustinus epist. 92. Multo plures, qui Pelagij sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro Christi gratia, & Catholica fidei veritate confligunt, præcipuè S. Filius tuus frater & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitratur (adjuvante misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, qui te regere consulentem, & orantem exaudire dignatur) auctoritati Sanctitatis tuæ, de sanctarum scripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos (qui tam perversa & perniciose sentiunt) esse cessuros.

S. Petrus Chrylogus epist. ad Eutychem: In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, que à beatissimo Papa Romane civitatis præscripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petro, quia in propria sede & vivit & præsi-

*Et præsides, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis
& fidei extra consensum Romanæ civitatis Episcopi causas non possumus.*

Episcopi Dardania ad Gelasium PP. Desiderij enim & voti no-
stri est, iussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à
Patribus nostris accepimus, Sedi Apostolicæ, quæ vitæ & meritis ve-
stris delectanda est, intemerata servare, atque religionem Orthodoxam, cu-
jus estis prædicatores, fide & inculpatâ devotione, protè rusticitatis
sensus patitur, custodire, &c. Si quis fortè pravâ intentione (quod
neque arbitramur, neque optamus) à sede Apostolica se crediderint
segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoni-
am, ut dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inviola-
bilia sanctorum Canonum instituta sectantes, Apostolicæ & singulari
illi sedi vestræ communi fide & devotione parere contendimus.

S. Lucius PP. & Marr. in epist. ad Episcop. Hispaniæ & Gal-
liæ *quæ habetur*, Tom. 1. Conciliorum: Hæc sancta & Apostolica Ma-
ter omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis
gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur,
nec hæreticis novitatibus depravanda succubuit: sed, ut in exordio
normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum
Christi principibus, illibata finetenus manet, secundum ipsius Domi-
ni salvatoris divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum Prin-
cipi in suis fatus est Evangeliiis: Petre, inquiens, ecce sathanas expeti-
vit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te ro-
gavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma
fratres tuos.

V. S. Leo IX. epist. ad Petrum Antiochenum, *quæ habetur* To-
mo 4. Conciliorum: Siquidem ab Apostolica tua sede nostram Apo-
stolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle de-
viare à Dominico, & omnium sanctorum Patrum concordî decreto,
quo inviolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis, sancta Ro-
mana & Apostolica sedes caput præponitur, ad quam majores & diffi-
ciliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur, sicut omnia
veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse sanctus
sanctorum, & Dominus Dominantium confirmat, quatenus ibi prin-
cipalis dignitatis, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex
præful-

„ præfulgeat, & præcellat, ubi ipse vertex atque Cardo Apostolorum
 „ Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die expectat.
 „ Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus &
 „ Salvator asserit se rogâsse, dicens: Simon, Simon, ecce sathanas expe-
 „ titiv vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non
 „ deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos,
 „ Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hæctenus fides Petri
 „ non defecit, nec defecturâ creditur in throno illius usque in sæculum
 „ sæculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periculi-
 „ tationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.

„ *S. Gelasius PP.* epistolâ ad Athanasium Imperat. *quæ habetur T.*
 „ 2. Conciliorum; Hoc est quod sedes Apostolica magnopere cavet, ut
 „ quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nullâ rimâ pravita-
 „ tis, nullâ prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat,
 „ quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cui-
 „ quam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus
 „ posceremus? Proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse
 „ pace componi, quod nos de totius orbis terrarum sumus universitate
 „ facturi; si (quod absit) nostra fuerit prævaricatione deceptus?

„ *S. Cyrillus* apud *S. Thomam* in catena Lucæ 22. Secundum hanc
 „ Christi promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione,
 „ & hæretica circumventionem manet immaculata.

„ *S. Anselmus Episcopus Cantuariensis* c. 1. de Incarnat. verbi: Do-
 „ mino & Patri universæ Ecclesiæ in terra pugnantis, summo Pontifici
 „ Urbano. Divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam,
 „ & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam
 „ committeret. Ad nullum itaque alium rectius refertur, si quid contra
 „ Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur,
 „ nec ulli alii tutius, si quid contra errorem responderetur, ostenditur, ut
 „ ejus prudentiâ examinetur.

„ *B. Rupertus Tuitiensis* l. 2. de divinis offic. c. 22. Tantis hære-
 „ sibus fermentata est Græcia, ut mirum videri non debeat hoc, quòd
 „ de fermento immolat. Tantæ è contrario synceritatis semper fuit
 „ Romana Ecclesia, ut cui deest scripturarum notitia, vel argumentandi
 „ facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debeat ejus aucto-
 „ ritas. Nam Constantinopolitana non solum hæreticos, sed & hæresi-
 „ archas

archas protulit multos: Romana verò Ecclesia, super Apostolicæ fidei “
Petram altiùs fundata, firmiter stetit, & tam Græciæ quàm totius orbis “
hæreticos semper confutavit, & de excelso fidei tribunali datâ sententiâ “
judicavit. “

S. Bernardinus Senensis p. 3. serm. 3. Cùm Papa sit Christi Vicari- “
us, & gerat vicem Dei in terris, sequitur, quòd habet plenitudinem po- “
testatis, & illud quod facit, præsumitur facere auctoritate Dei. Ideò “
ipso approbante aliquid, & nos approbare debemus, immo ipsius sen- “
tentiæ est magis standum, quàm totius mundi sententiæ. “

S. Bernardus epist. 190. ad Innoc. PP. Oportet ad vestrum referri “
Apostolatam pericula quæ quæ, & scandala emergentia in regno DEI, “
ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror “
ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defe- “
ctum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquan- “
do dictum est: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Er- “
go quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conver- “
sus confirma fratres tuos. Id quidem modò necessarium. Tempus est, “
ut vestrum agnoscat, Pater amantissime, principatum, probetis ze- “
lum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus “
tenetis & sedem, si vestrâ admonitione corda in fide fluctuantia confir- “
matis, si vestrâ auctoritate conteritis fidei corruptores. “

S. Thomas Doctor Angelicus 2. 2. q. 1. a. 10. Et ibid. ad 3. Item in “
opuscul. 1. contra errores Græcorum. Idem opusc. in symbol. Apost. “

Stanislaus Hosius in confessione Catholicæ fidei c. 38. Sola Ro- “
mana Ecclesia, quam ab exordio fidei Christianæ normam ac- “
cepit, in ea semper illibata permansit. Defecit Hierosolymitana “
Ecclesia, cui præsedebat Jacobus: defecit Achaja, ubi Andreas: “
defecit Asia, ubi Joannes: defecit India, ubi Thomas: defe- “
cit Persis, ubi Judas: defecit Æthiopia, ubi Matthæus: defecit “
Phrygia, ubi Philippus: defecit Græcia, ubi Paulus. Sola fuit, & est “
Romana Ecclesia, ad quam, sicut præclare scribit Cyprianus, nun- “
quam accessum habere potuit perfidia: quæ mille jam quingentis & “
amplius annis ita est Catholica semper & Apostolica habita, nun- “
quam ut ullâ fuerit hæreseos labe maculata. In qua videre et- “
iamnum licet viros & vitæ sanctimoniâ, & doctrinâ præstantissimos. “

„ Neque enim existimandum est, si quando ad Petri cathedram de causis
 „ majoribus refertur, solum esse Paulum, aut Julium Pontificem, qui de
 „ illis judicet. Habet ille lateri suo assidentes totius orbis viros doctissi-
 „ mos, quibus ipse minimè doctrinâ secundus præsidet, de quorum con-
 „ silio de rebus gravioribus pronuntiat. Quamobrem ferendi non sunt,
 „ qui Pontifici se dicto audientes fore proitentur, non autem Paulo, aut
 „ Julio, sibi que hoc arrogant, suum ut esse velint iudicium, quando ut
 „ Pontifex, quando ut Julius decernat. Quæ si semel admittæ fuerint
 „ captiones, omnis erit è terris obedientia sublata.

VI. Denique Theologi omnes, si paucissimos excipias, hanc ipsam de Pontificis infallibilitate sententiam docuerunt, præsertim verò Patres Societatis: immo isti acerrimis censuris contrariam opinionem fixerunt, ut videre est apud Suarez de fide d. 5. n. 8. Salmer. ad finem Tomi 12. Layman, de fide c. 7. Amicum de fide d. 7. Eoque ardor Religionis & observantiæ Patres Societatis provexit, ut Parisiis in Collegio Claremontano Anno MDCLXI. die 12. Decembris, contra hæreses & Schisma sæculi decimi hanc thesin publico soli exposuerint, immo & defenderint; *Datur in Ecclesia Romana Controversiarum fidei iudex infallibilis etiam extra Concilium generale; tum in questionibus juris, tum facti; unde post Innocentij X. & Alexandri VII. constitutiones fidei divinæ credi potest librum, cui titulus Augustinus fansenij, esse hæreticum, & quinque propositiones ex eo decerptas esse fansenij, & in sensu fansenij damnatas.*

Hanc eandem sententiam de infallibilitate Pontificis in facti questionibus docet P. Richardus Archdekin p. 1. Tr. 1. q. 3. & opinionem contrariam acerbè pulsat.

VII. Doctores Parisienses quod attinet, enimverò nostrum non est, quid illi scribant, dicere, multoque minùs quid sentiant, hoc enim nimis occultum est, illud nimis apertum: maximè cum sæpe alia sit mentis, alia calami sententia, & tunc præsertim, ubi tutius aliqua cogitantur, quàm scribuntur. Quia tamen Parisienses Doctores nobis obijciuntur, multosque tanti nominis auctoritas movet, creduntque illis ducibus, non impunè tantùm, sed etiam gloriose errari posse; nos, ut veritas omni ex parte in tuto sit, quid Parisienses hac in re sentiant, aliorum verbis, non nostris, nec enim suspicione vel minimâ tangi volumus, expromemus.

P. Augu-

P. Augustinus à Virgine Maria strictioris observantiæ Carmelita Gallus Provinciae Turonensis in anno tertio *Cursus Theologici Tr. de fide d. 10. q. 3.* hæc scribit: *Dicuntur communiter, & contra nos esse Doctores Parisienses: quo titulo tamen id adeo unversim de ipsis dicatur, vix possum certo agnoscere; & præter paucos jam citatos, hucusque alios ex illa facultate probatos Auctores non habemus, qui typis defendant sententiam nostram oppositam. Immo Du-Vallius insignis Sorbonæ Doctores, & Cathedralis, in quadripartita disputatione de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate part. 2. acriter propugnat hanc infallibilitatem Papæ: ubi & testatur hanc esse consuetudinem Academiae Parisiensis, ut Baccalauræi de questionibus Theologicis solemniter responsuri, protestationes præmittant, se nolle quidquam contra decreta sanctæ sedis Apostolicae & Romanæ asserere, aut defendere. Et præfatum librum cum præclaro encomio approbârunt duo Sorbonici Doctores. Idem in fine q. 4. testatur: Quod nihil quidquam à facultate Parisiensi contra Pontificis infallibilitatem unquam sit definitum: unde præter D. Thomam citatum, refert idem pro nostra sententia Doctores Parisienses, Divum Bonaventuram, Hervæum, Armonium, Henricum de Gandavo socium Sorbonicum, Joannem de Cellaja socium item Sorbonicum; ac tandem Tractatum illum in fine Magistri sententiarum impressum, in quo errores Joannis refutantur, & prima conclusio est, quod ad S. sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali supremâ, circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire. Et probatur: quia fides ejus nunquam deficit: Rogavi pro te, ut non deficiat, &c. Quidam vero alii questionis decisionem refugiunt, ut Gammacheus hic quest. 1. cap. 12. Nambertus tractatu de Judice controversiarum, disputatione ult. De aliis autem, qui suas opiniones typis non mandant, etsi non tam audacter nostram sententiam non tam publicè velint sustinere; audio tamen non paucos eam intra privatos parietes prorsus amplecti.*

Richardus Archdekinus Hibernus S. J. Theologus in sua *Theologia tripartita p. 1. tract. 1. q. 1.* Postremò hic extorquendum est telum quibusdam, qui hoc tempore in partibus hæreticorum se vocant *Missionarios Apostolicos*, nec dubitant tamen, ut evehant potestatem Principum secularium, & Apostolicæ sedis auctoritatem infra Concilium deprimere: ac confidenter asserere, hanc esse Ecclesiæ Gallicanæ certam & indubitatam doctrinam.

Verùm in hoc produnt crassam rerum Gallicarum ignorantiam, dum suam & paucorum labem omnibus Gallia Theologis affricare nituntur. Testatur id mecum celebris schola Sorbonica Doctor Andreas Durvallius agens de ea sententia, qua asserit Pontificem esse supra Concilium generale. Tract. de Rom. Pontificis potestate p. 4. q. 7. Totus, inquit, orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam (sententiam) amplectitur, & rationibus validissimis, cum ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex principiis Theologiae petitis confirmatur. Atq; idem Doctor luculenter ostendit in Atelequio, S. quo pacto: Concilium Basileense, in hoc pacto Pontificis auctoritatis inimicum, ab universa Ecclesia explosum semper rejectumque fuisse, nec aliam in hoc esse fidem Gallia, quam universalis Ecclesia. Hujus rei praclarum prabuere argumentum Episcopi Gallia, & Doctores Sorbona, quando Parisius Anno MDCXI, prodit libellus Anonymus de Ecclesiastica, & politica potestate, qui cum in hac questione videretur Pontificis auctoritati adversari, Cardinalis Perronius, unâ cum Episcopis Provincia Senonensis, & postea Aquensis Provincia Antistes gravi censurâ libellum notarunt, ac suo decreto condemnarunt. Quorum sententiam ipse Auctor libelli postea amplexus est, suumq; errorem debite retractavit. Abiant jam inanes fabella, de Ecclesia Gallicana universa in hoc dogmate Pontifici contraria; facta cessat quoque credula nimis talium Missionariorum impudentia, qui, ut cupiditatibus suis velificentur, à veritate auditum avertunt, & ad tales fabulas convertuntur. Hæc Archdekin.

VIII. Et hætenus quidem Patrum Doctorumque omnis ætatis testimonia, quæ legi, audiri que à nullo possunt, qui non continuo persuasum habeat, omnes illos in rebus fidei, supremum judicium, certamque sententiam Romano Pontifici tribuisse. Volunt lite aliquâ de rebus fidei exortâ, Romam ad judicium iri: volunt sententiam illie datam Oraculum esse, cui nisi obtemperes, hæresin oleas, aut ab Ecclesia defectioem: volunt quod Papa definitur finitum esse, nec amplius in dubium vocari posse. Hieronymus tres hypostasies in Trinitate agnosceret, si Damasus jubeat. Augustinus hæresin Pelagianam, toties victam, toties pugnae restitutam, tunc demum prostrigatam esse dicit, ubi Pontifex le prælio miscuit, eamque truncatam voluit: Patres Nicæni Concilii tam certam habent Pontificis Romani sententiam, ut majora Ecclesiæ negotia illi reservata velint. S. Athanasius Patrèsque Africani hanc unam sedem ad eò erroris expertem dicit, ut ab illa dogmata fidei majores sui, & velut

& velut à matre lac sincerae doctrinae acceperint. S. Cyrillus non prius
 audet Nestorium inter hæreticos censere, quàm à Cœlestino Papadam-
 natum. S. Cyprianus non posse perfidiam habere ad Petri cathedram ac-
 cessum. S. Fulgentius ad id, quæ à Pontifice Romano decernuntur, cer-
 ta esse, ut quod ille tenet, docetque, totus Christianus orbis nihil hæsi-
 tans credat. S. Agatho & cum illo Patres 6. Oecumenicæ Synodi nul-
 lum omnino errorem nullamque hæresin Petri cathedram inledisse, nec
 unquam deinceps futurum, ut Petri successores, pro quibus tam serid
 Christus oravit, à vera fide deficiant. Denique omnium ferè Patrum,
 Græcæ, Latinæque Ecclesiæ est una, constansque sententia, non posse
 in rebus fidei decernendis Pontificem errare. Huic tantâ pietate, do-
 ctrinâ, rebusque pro Ecclesia gestis illustrium virorum choro, si tu Ger-
 sonem, Almainum, & Ochamum opponas, qui contrarium docuerunt:
 quid amabò aliud facies, quàm ut paucos aliquot, & gregarios milites
 cum castris Heroum conferas, tenuesque radios cum ingenti sole com-
 ponas? magnus fatemur Gerson, sed quis ille, ut Augustino, Hierony-
 mo, Ambrosio, Athanasio, Gregorio, totique Oecumenicæ Synodo
 præferatur? Et quæ ratio, aut æquitas postulat, ut uni mille: non sancto,
 tot sanctos: Cancellario Parisiensi, Doctores Ecclesiæ, immo ipsam
 Ecclesiam, quæ ex illorum sententia pendet, cedere oporteat? tu ergo
 Gersoni fidem habes, non habes Hieronymo, non Athanasio, non
 Fulgentio, non Augustino, ad quorum vestigia, si Gerson viveret, pro-
 nus lubensque accideret? At Patres non clarè loquuntur: immo tam
 clarè, ut clariùs non possint: quid enim tam clarum, quàm illud Fulgen-
 tij: *Quod Romana, que mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia, totus
 cum ea Christianus orbis nihil hesitans credit.* Et illud Augustini: *Quid
 potuit vir ille S. Innocentius Papa Africanis respondere Conciliis, nisi quod
 antiquitus Apostolica sedes & Romana cum ceteris tenet perseveranter
 Ecclesia.* Et illud Hieronymi: *Ego Beatitudini tuæ, hoc est, cathedræ
 Petri communionem confocior: quicumque, extra hanc domum comederit, pro-
 fanus est, quicumque, tecum non colligit, spargit. Apud vos solos incorrupta
 Patrum servatur hereditas.* Et illud Agathonis Papæ, sextæque Synodi:
*Sedes Romana à tramite Apostolica traditionis nunquam erravit, & in ea
 vera fidei lumen nullâ hæretici erroris, nec falsitatis nebulâ fuit con-
 fœdata, sed illibata sinetenus permanet juxta pollicitationem Petro factam:*

Pro te rogavi, ut non deficiat fides, &c. Hæc planè & alia plura sanctorum Patrum testimonia tam clara & perspicua sunt, ut ad ea intelligenda, nec face, nec glossâ opus sit, sed oculo tantùm sano purgatoque, nec privatis affectibus tincto; alioquin ægris infectisque oculis, ne sol quidem sine umbra & maculis est.




§. VI.

Praxis, ususque Ecclesie pro eadem infallibilitate Pontificis Romani.

Summaria.

1. *Praxis Ecclesie ex modo loquendi apud scriptores Ecclesiasticos.*
2. *Qui à Pontifice Romano definitis non acquiesceret, pro schismatico haberi solitus.*
3. *Nota Catholicorum, damnare, quæ Romana Ecclesia damnat; approbare, quæ approbat.*
4. *Lites in causa fidei ex sententia Romani Pontificis finire solitæ.*
5. *Multæ hæreses à Romano Pontifice extrà Concilium damnatæ.*
6. *Responsiones ad objecta.*



I.

SI Legum Christi interpres nullus sanior est, quàm perpetuus Ecclesie usus, erit, speramus, omnibus numeris confecta demonstratio, ubi ostenderimus Canonum, Conciliorum, Patrumque de Romani Pontificis infallibilitate sententias, non imaginarias tantùm, & intra calamus chartamque stetitisse, sed perpetuo Ecclesie usu confirmatas:

firmatas : hunc autem Ecclesiæ morem usumque ex multis capitibus colligere licet.

Primo. Quòd passim in historia Ecclesiastica, sacris Conciliis, & Patrum Commentariis multi loquendi modi occurrant, qui hanc ipsam, de qua agimus, infallibilitatem ostendunt, quales sunt : *Quòd Romana sedes sit fidei fundamentum: quòd inde Religionis nostræ fons & origo manat : quòd, quæ illa damnat, omnes damnent, quæ approbat, omnes approbent: quòd semper ejus doctrinam omnis Catholica Christi Ecclesia, universales Synodi, sanctiq; Patres fuerint secuti : quòd omnium fidelium & Ecclesiarum disponente Domino existat Magistra.* Hæc, ut diximus, legenti passim & ubique occurrunt, nec dici omnino possunt, nisi de doctrina planè infallibili, & ab omnī errore aliena.

II. Secundo. Quòd, qui aliquid à Romana sede definitum non reciperent, schismatici haberentur, & cum illis nemo communicaret; quod manifestissimo argumento est, Romanæ sedis in rebus fidei sententias certissimas esse, nec enim schismaticus aut hæreticus est, nisi qui certæ compertæque veritati se opponit: quæ enim incerta & dubia sunt, ac intra opinionem consistunt, recipi pro arbitrio possunt, repellive; nec propterea, qui hoc facit, hæreticus aut schismaticus est. Sed testes hujus veritatis producamus. Pelagius Papa, & apud illum Augustinus *in c. schisma 24. q. 1.* *Id ipsum enim magis est, propter quod schismatici sunt: quia non eos diversa sentiendi judicium, sed quadam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam sedem temerè credentes pessima divisit opinio. Quod schisma specialiter esse, beatus denuntiat Augustinus, dicens de talibus, adversus auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica sede epistolas accipere meruerunt, & temerè credendo, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.*

S. Cyrillus Alexand. epist. ad Cælestinum Papam: Quamvis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausuimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Dignèris proinde, quid hic sentias, declarare; quòd liquido nobis constet, communicarene nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat.

S. Hieronymus epist. ad Damasum: Hic in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat; ego interim clamito: si quis Cathedra Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus tibi barere se dicunt: posse credere,

credere, si hoc unus assereret, nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Et in alia ad eundem Damasum epistola: Ego Beatitudini tua, hoc est, cathedra Petri communionem confocior: non novi Vitalem, Meletium nescio, quicumque tecum non colligit, spargit. S. Leo epist. 87. ad Episcopos Viennensis Ecclesia: Prædicationis Evangelii Sacramentum ita Dominus ad omnes Apostolos pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii esse divini intelligeret, quisquis ausus fuisset à Petri soliditate recedere. S. Cyprianus l. 4. epist. 8. de cathedra Petri loquens: Scimus hortatos nos esse, ut Ecclesia Catholica radicem & matricem agnoscerent, & tenerent. S. Ambrosius Orat. de obitu Sarruri: Rogavit si cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia consentiret.

Dices: Eos tantum à SS. Patribus notari, qui se à communionem & fide sedis Romanæ, quoad omnia separant, non verò in una tantum alterave causa.

Resp. Patres, ut ex adductis testimoniis patet, de causis tantum particularibus loqui, eosque arguere, qui semel à Pontifice definitis non acquiescunt; & merito: sicut enim fides Catholica partes non recipit, & qui vel unum non credit, nihil credit, estque hæreticus: ita qui vel in uno dogmate semel definito cum Romano Pontifice non communicat, in nullo communicat, negatque illi, quod maximum & præcipuum habet, privilegium videlicet summi Pastoris, fundamenti, Petræ, & Magistri Ecclesiæ, licetque non contentus ramum aliquem aut florem carpere, ipsas radices sacræ illius dignitatis incidit.

III. Tertio. Patres exortâ aliquâ fidei dubitatione, ut ab hæreticis certâ notâ distinguerentur, certi que ipsi essent veritatis, se id credere profitebantur, quod crederet sedes Petri, suamque fidem istius iudicio submittere, & quod damnaret se quoque damnare; hoc verò supponit Romanæ Sedis doctrinam veram omnino esse & certissimam, incapacemque erroris: cum enim fides certissima sit, nullumque dubium admittat, oportet fidei quoque regulam certissimam esse; alioquin fides dubio principio nixa, & ipsa dubium reciperet, quod fieri nequit: si ergo doctrina Pontificis Romani sanctis illis Patribus regula credendi fuit, in quam fidem suam tutò reponerent; oportet quoque & illam fixam omnino, & immobilem esse, & si non est, sanctos illos Patres, velut anchoris, quibus tenerentur, perditis, fluctuasse potius, quam credidisse,

didisse. Sed ipsos audiamus. S. Ambrosius epist. 11. ad *Ageruchiam*: *In omnibus Romana Ecclesiæ formam & typum sequimur.* S. Basilius epist. 77. *Cum ad hunc modum habeant res nostræ, debebant continuè à vestra dilectione ex sinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppressos invisserent, & multo crebrius amica ad nos vestra destinari littere, quibus vel in proposito confirmaremur, vel, si qua in re offendamus, corrigeremur.* Non enim negamus, innumeris nos obnoxios erroribus esse, cum homines simus, & in carne vivamus: parati hac in re vestram institutionem amplecti.

Ruffinus in symboli explanat. *Siquid parùm cautè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes.* Theodoret. epist. ad *Renatum Presbyterum*: *Quare qua ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacumq; erunt iudicii vestri integritate confisi amplectemur.* S. Hieronymus epist. ad *Damasum* de tribus hypostasibus: *Idcirco obtestor beatitudinem tuam, per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi: ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria communicare debeam, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est. Discernite obsecro non timebo tres hypostasies dicere, si juberis. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam, per Crucifixum, mundi salutem, per homouisionem Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.*

Theodoretus l. 5. hist. c. 2. *Gratianus* toto Imperio potius, scripsit legem, quâ jubebat sanctas Ecclesias tradi his, qui *Damasum*, (is erat Episcopus Romanus) communionem amplexarentur.

Abbas *Joachimus*, ut ex Concilio Lateranensi in c. 1. de *Summa Trinit.* refertur: *Confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino cunctarum Mater est & Magistra.*

Josephus Patriarcha Constantinopolitanus in chirographo, quod jam moriens scripsit, hoc suæ fidei monumentum reliquit, ut sess. ult. circa finem Concilij Florentini habetur: *Joseph miseratione divinâ Constantinopolis, & Nova Roma Archiepiscopus, ac Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum visæ mee perveni, idcirco pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam sententiam his litteris palàm facio. Nam quæ Domini Jesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Roma Veteris sentiat ac celebret, omnia me quoq; sentire, credereq; profiteor, ac ipsis plurimum acquiesco. Beatissimum autem Patrum patrem, ac summum Pontificem, Romæq; Veteris Papam, Domini Nostri Jesu Christi Vicarium esse concedere, atq; animarum Purgatorium esse non inficio. Datum Florentiæ, die Octavâ mensis Junij, millesimo quadringentesimo trigesimo nono. Ttt IV. Quar-*

IV. *Quarto*. Natâ hæresi aliquâ, quæ Ecclesiam turbâset, non prius etiam apud Catholicos dubitandi disputandique finis erat, quàm pronuntiata à S. Pontifice sententia; tunc enim verò dato velut signo finis inter Catholicos certandi erat, & hæresis conelamata; quod evidens signum est, persuasum fidelibus fuisse, sententias Romani Pontificis in quæstionibus fidei certissimas esse, nec errori subiectas; alioquin non poterat illos sententia incerta certos reddere, dubia indubios, & errori exposita, ab omni errandi periculo liberos. Testes hujus veritatis sunt Sozomenus l. 6. c. 22. *Qua de controversia*, inquit, *Romanus Pontifex certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut unâ cum sacerdotibus & Episcopis Occidentis, Trinitatem, & consubstantialem esse, & gloriâ æqualem existimarent. Quo facto, singulis rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis, acquieverunt, hæcque controversia finem habere visa est.*

S. Prosper contra Collatorem, & in Chronico: *Tunc Pelagianorum Machina fracta, quando B. Memoria Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.*

S. Augustinus l. 2. contra Pelagium & Cælestium c. 7. *Cælestius B. Papa Innocentij non est ausus litteris obsistere, immo se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit. S. Augustinus l. 1. c. 1. ad Bonifacium PP. Concilio apud Carthaginem habito 217. Episcoporum, ad Pontificem Zozimum synodalia decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum hæresis Ariana damnata est. Patres Milevitani epist. ad Innoc. l. Arbitramur, adjuvante misericordiâ Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis Tue de sanctarum scripturarum auctoritate deprompta, facilius eos, qui tam perversa sentiunt, esse cessuros.*

S. Cyrillus epist. ad Cælestinum Papam de hæresi Nestorij: *Porro Tua integritatis mens, & super hac rescientia, non modo religiosissimis Deoq; piissimis devotissimis Macedonia Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicue per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectaque Fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.*

Constantinus Magnus in edicto cui initium: *Ea quæ Salvator noster, &c.* (habetur hoc edictum in codice Conciliorum quatuor Generalium Coloniae edito Anno MDXXX.) fol. 58. hæc habet: *Et Pontifex qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & Prin-*

ceps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat, & ejus judicio quæq; ad cultum Dei, vel fidei Christianorum stabilitatem procurandam fuerint, disponantur; justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctorum legum institutor Salvator noster beatum Petrum Apostolatus obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens, beatissimum mortis sumpsit poculum, suiq; Magistri & Domini imitator apparuit.

Hieronymus de Irenæo Romam misso in catalogo: Omnium doctrinarum curiosissimus explorator, non moles adificiorum Urbem circum-eundo contemplabatur, sed Apostolicæ Ecclesiæ fidem, ritus, mores, ac disciplinam, quam illi Petrus & Paulus Apostolorum Principes tradidissent, perscrutabatur, nactusq; ibi Apostolicas traditiones integras & illibatas, ut ab Apostolis tradite fuerant, vigilantissimè custoditas & integerrimè conservatas, ad eas omnes, quos scriptis exagitat, exinde provocavit hæreticos, quos sciret eo solo tam patentis testimonio (si quæ in eis reliqua esset ratio veritatis) posse convinci.

V. Quintò denique. Multæ hæreses à solo Romano Pontifice extra Concilium damnatæ sunt, exinctæque, quod fieri non poterat, nisi ab auctoritate infallibili & errare nescia: sicut enim fides est de re certa, & cui falsum subesse non potest, ut eleganter declarat S. Bernhardus *epist. 190. ad Innocent.* ita hæresis est rei certò falsæ, & cui verum subesse non potest: ergo sententia Pontificis, quæ declarat opinionem aliquam esse hæreticam, omnino est certa & infallibilis; alioquin nec declaratio erit certa, utpote ab auctoritate incerta profecta: nec id quod declaratum est, certò ad hæresin pertinebit, cum fieri non possit, ut à principio incerto deducatur conclusio certa, quemadmodum si non est certum te aquâ elementari baptizatum esse, ita nec erit certum te verè baptizatum, & Christianum esse. Fuisse verò quamplures hæreses auctoritate solius Pontificis extra Concilium generale damnatas, dubium non est. Nam hæresin Nestorianam damnavit Cælestinus Papa anno CCCCXXX. & quamvis eam S. Cyrillus prius jam confutasset, nunquam tamen ante Pontificis sententiam ausus est Nestorium pro hæretico habere, uti patet ex ejusdem Cyrilli *ad Cælest. epist. quæ habetur tomo 1. Concilior. Venetæ editionis.* Et licet Cælestinus in eadem Nestorij causa Concilium generale indixerit, id tamen fecit, ut turbæ in Ecclesia natæ sopirentur, atq; ut Nestorij fautoribus, quos plurimos habebat, & præpotentes, omnis calumniandi tergiversandique occasio tolleretur, ut in eo Concilio non


hæresi à Cœlestino prædamnatæ venia daretur, sed Nestorio tantum, si resipisceret. Hæresis Joviniani, & Pelagii damnata est Romæ à Syricio Papa anno CCCXC. ejusdemque auctoritate à S. Ambrosio in Concilio Mediolanensi testibus S. Prospero *carmin. de ingratis*. S. Hieronymo *contra Pelagium* l. 2. & *præfat. in Jerem. lib. 4.* Hæresis Monothelitarum, & Ecthesis Heraclij Imperatoris damnata est à Severino Papa anno DCXXXIX. ut habetur *in synodo Lateranensi*, sub Martino Papa *secret. 1. & 2.* & probat Baronius *ad eundem annum*. Propositiones hæreticæ Gilberti Pictaviensis Episcopi damnatæ sunt ab Eugenio III. anno MCXLVIII. Denique ut alia omittamus, propositiones Janfenij in eo sensu, quem verba exhibent anno MDCLII. & MDCLVI. ab Innocentio & Alexandro Papa, ut hæreticæ damnatæ sunt, & ut tales à Gallis proscriptæ, immo ut refert Archdekinus *in Theolog. tripart. p. 1. tr. 1. q. 5. in fine. Ex Regis Christianissimi, & Episcoporum Gallia desiderio, Alexander VII. decrevit, ut universus ordo Ecclesiasticus huic professioni cum juramento subscriberet: Ego N. Constitutioni Apostolica Innocentij X. data die 31. Maji MDCLIII. & Constitutioni Alexandri VII. date 16. Octobris MDCLVI. summorum Pontificum me subscipio, & quinque propositiones ex Cornelij Janfenij libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet. & hæc sancta Dei Evangelia.*

Agnovit ergo Gallia totusque Ordo Ecclesiasticus, tam certam esse Pontificis Romani sententiam, ut quæ ille damnat, & pro hæreticis habet, damnari debeant, haberi que pro talibus, & damnationis sententia juramento confirmari; quod fieri non posset, si damnatio certa & indubia non esset; nemo enim jurare potest, propositionem aliquam damnabilem, aut hæreticam esse, nisi certò id credat, alioquin juramentum exponeret periculo falsi, docentque omnes tum Theologi, tum Jurisperiti.

VI. *Dices:* Tunc modò Pontificum sententias opinionem aliquam damnantium, certitudinem adeptas esse, cum ab Ecclesia universim receptæ sunt; & quando ipsa Ecclesia hujusmodi damnatas opiniones pro hæreticis habuit.

Respondimus jam supra ad hanc objectionem, & ea quàm sit inanis, demonstravimus; Idcò enim Ecclesia hujusmodi Pontificum senten-

sententias recepit, non quia jam certa veritatis, & ut illis certitudinem commodaret, sed quia certas credidit, & tales, ut merito dubium omne, quo prius Ecclesia jactabatur, excluderent: dubitabat ante Pontificis sententiam Ecclesia: post illam omni dubio solvebatur; non ergo certitudinem Pontifici dabat, sed accipiebat. Deinde qui pronuntianti Papæ non acquiescerent, pro hæreticis habebantur, non ergo liberum erat ab eo definita aut repellere, aut acceptare, & acceptando certa efficere: immo ipsi Pontifices acceptari jubebant, & qui obsisterent, anathemate dirisque feriabantur. Denique cum dicis à Pontifice definita non esse certa, sed consensu Ecclesie certa fieri, quid tu intelligis nomine Ecclesie? Concilium generale? at jam ostendimus ex ipsis Conciliis, ex Patribus, praxique Orbis Catholici etiam extra Concilium errare Pontificem non posse. Nec ullus est in Ecclesiastica historia vel leviter tinctus, qui nesciat, trecentis & ultra annis gravissimas multasque hæreses sine ullo Generali Concilio damnatas proscriptasque esse. Totam omnino fidelium societatem? ergo nunquam me Pontificis definita obstringent, quia nunquam constare mihi potest omnes omnino fideles in ea consensisse, & assensu firmasse, sine quo, ut dicis, certa non sunt: quis enim tibi nuntius aquilâ aut Pegaso vectus ad aures pertulit omnes in India, in Africa, in Asia, in Hispania, Germania, Italia, Polonia, Americaque Alexandro Pontifici subscripsisse, cum Jansenium damnavit? immo qui potuerunt omnes consentire, re non ad omnes perlatâ, nulloque conventu habito, nunquam capitibus collatis? Quod si nomine Ecclesie majorem fidelium partem intelligis, de eadem redit quaestio, quomodo constaret tibi possit, majorem illorum partem in sententiam contra Jansenium latam, v. g. consensisse? maxime cum non semper illa pars sit melior, quæ est major: absurdum igitur est sententias & decreta Pontificum in rebus fidei tunc primum necessarias certasque esse, cum à tota Ecclesia recipiuntur: antequam recipiantur incertas, nec animi obligare.






Rationes pro Romani Pontificis infallibilitate.

SUMMARI A.

1. *Primæ ratio ex necessitate iudicis controversiarum.*
2. *Ex conciliorum certitudine.*
3. *Ex confirmatione Pontificis, sine qua Concilia plenam auctoritatem non habent.*
4. *Ex ordine Divinæ Providentiæ.*
5. *Ab experientia.*
6. *Ex Ecclesiæ ipsius infallibilitate.*
7. *Ab absurdis.*
8. *Resp. Ad objecta.*



I.



Primè animadvertit S. Thomas 3. p. q. 1. a. 3. *Ea quæ ex sola voluntate Dei proveniunt supra omne debitum naturæ, nobis innotescere non posse, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit.* Cum ergo privilegium infallibilitatis Romano Pontifici concessum, non tantum naturæ debitum superet, sed etiam sit contra hominis naturam semper in errores præcipitem, maximè verò circa res divinas, quæ stellarum more, quanto sunt à nobis remotiores, tanto magis oculum aut fugiunt, aut fallunt, tutiore semper silentio, quàm sermone; sufficisset inquam illam ipsam infallibilitatem, seu, ut Græci vocant, *anamartisan* ex sacris litteris probâsse, ex Conciliorum, Patrûmque testimoniis, ipsoque perpetuo Ecclesiæ usu. Quia tamen Deus, qui est summa & prima omnium Ratio, nihil potuit aut sine ratione, aut rationi dissentaneum efficere, & homo Christianus, quamvis fide ducatur, hanc ipsam tamen fidem
tanto

tanò pronius amplectitur, quanto magis ratione, nativo velut pondere, in illam rapitur; nostrarum erit partium argumenta expendere, quæ hanc ipsam infallibilitatem nobis persuadeant.

*Prima igitur ratio est, quia negatâ hâc infallibilitate in rebus fidei decidendis, sequitur Ecclesiam omni Judice controversiarum destitutam esse, sicque velut navim in fluctibus, sine clavo, & gubernatore, incertam vagari, & vel nunquam esse certam veritatis, vel omnes sacras controversias ex sententia inunctis & enthusiasti privati dirimendas esse, quæ est hæresis Lutheranorum: Concilia enim & difficillimè multo que temporis defluxu convocantur, & sæpissimè convocari non possunt, ut in primitiva Ecclesia trecentis ferè annis contigit: & si convocentur, multa iterum occurrant, ob quæ vocari in dubium potest, an sint universal'ia, an legitimè celebrata, an quæ illic decernuntur, fuerint conciliariter, hoc est, præmisso examine & diligenti inquisitione, & pluribus votis decreta, & denique an fuerint à S. Pontifice confirmata: immo Prælati unius nationis Catholice aut venire ad Concilium recusantibus, aut subito à Concilio abscedentibus, idque allegatis causis, quæ nunquam defunt, quæque legitimæ sint an secus, paucissimis constare potest, generalitas Concilij semper impugnari poterit. Tota ergo Conciliorum auctoritas & certitudo ex hisce omnibus pendet, quorum si vel unum absit, aut saltem dubitetur an absuerit, Concilij definitio evadit incerta, ut experienciâ multorum Conciliorum constat, videlicet Francofordiensis sub Carolo M. Pisani, Constantiensis, Basileensis, Florentini, Lateranensis, &c. Quid ergo fiet Concilio aut impedito, aut discordiis soluto, aut de quo non constat, an universale & legitimum sit, ac à Pontifice confirmatum? Quis tunc finem controversiis imponet? quis partibus sententiam dicet, si Papa errare potest? & denique me in fide nutantem quis confirmabit? Expectetur *dices* Concilium. At nimis tardum, nimis incertum est hoc remedium animis interim discordiâ divisis, & falsâ opinione infectis, quam diu animo retentam vix deponent, Concilio postea jubente: sunt enim falsæ corruptæque doctrinæ venenorum instar, quibus festinata remedia subveniunt, sed tarda multumque dilata, ac malo jam in præcordia recepto, frustra sunt, & inutilia. Deinde Con-*

cilia;

cilia, ut diximus, tam multis opus habent, ut vix aliquod sit, quod repelli aut eludi non possit hâc præsertim tempestate, quando opinandi licentiâ tam latè dominatur, ut nihil sit, quod in dubium & problema vocari non possit, Doctoribus passim novitate gaudentibus, omnique industriâ ea probantibus, quæ probari non possunt, ut ex difficultate ingenium ostentent, & ex ingenio palmam & plausum apud eos mereantur, qui plus artribuunt quàm veritati.

II. *Secundo Ratio.* Negatâ Pontifici Romano infallibilitate, cum è cathedra pronuntiat, ne quidem ipsis Conciliis eorumque decretis certa & indubitata auctoritas & fides constat: Concilia enim, nisi sint legitima, & universalia, nihil in fide statuere possunt, ut patet de Concilio Ariminensi, Ephesino 2. aliisque: at legitima & universalia esse unde constat? Quia Papa confirmavit, testaturque legitima esse? At secundum te errare potest Papa, & tunc maximè, cum facti quæstio vertitur, qualis est illa: an Concilium fuerit Generale, legitimum, & legitime processerit. Quia Ecclesia recepit? At non tenetur Ecclesia recipere, nisi constet legitimum & universale esse, quis hoc dixit Ecclesiaz, & cui tutò credere Ecclesia potuit, lubrico Papæ testimonio & casui exposito? Vides eâdem ratione præcipitari Concilium, quâ nimium attollitur.

III. *Tertia Ratio.* Si Papa errare potest, Concilium non potest, ergo non oportebit acta Concilii à Papa confirmari, sed potius acta Pontificis à Concilio confirmanda erunt, quod tamen est contra expressissimam doctrinam sanctorum Patrum, in d. 17. & perpetuam Ecclesiaz praxin. Quid verò magis contra rectum ordinem rectamque rationem, quàm ab eo, qui errare potest, necessariò illius sententias confirmari, qui errare non potest, hoc est, videntem à cæco duci, & solem à stellis radiari?

IV. *Quarta Ratio.* Certum est Deum, quantumvis rerum omnium primam & potentissimam causam, quæque nullius consortio aut præsidio indiget, accommodatè ad rerum omnium causam operari, per ignem videl. non per aquam calefacere: per lucem, non per sonos aërem illustrare: coloribus oculos pascere, non saporibus: pernicitatem aquilis, non testudini dare: & denique quæ singulorum naturis congruunt, non quæ adversantur, tribuere: & hanc esse

esse divinæ Providentiæ indolem, à sacris paginis toties commendatam, omnia videlicet *In ordine, pondere, & mensura molientis, disponentisque suaviter*, hoc est, juxta non contra rerum naturas ac propensiones. Cùm ergo Deus Pontificem Romanum constituerit Caput, Pastorem & Magistrum, non tantùm Ecclesiarum omnium in particulari, verùm etiam ipsius Ecclesiæ universalis (ut definitum est in Concilio Constantiensi *sess. 8. art. 37. sess. 15. sess. ult.* & Concilio Florent. *sess. ult.* Lateranensi *sess. 11.* & Lugdun. primo *c. unico. de homic.* Lugdunensi 2. *c. unico de summa Trinit. in 6.*) oportet infallibilitatem, de qua agimus, aut Ecclesiæ tribuere, aut Pontifici, aut utrique, aut neutri. Si neutri: nihil ergo in Ecclesia certi habebimus, fide in opinionem mutatâ. Si & Pontifici & Ecclesiæ: est ergo Pontifex infallibilis. Si soli Ecclesiæ & Concilio, non verò Pontifici: ergo Deus plus doctrinæ, & certitudinis in discipulum, quàm in Magistrum contulit, & qui oves noluit errare posse, voluit pastorem posse: & domum voluit firmiùs quàm fundamentum stare, hoc frangi & cadere, illam non posse: quid amabò magis contra naturam fundamenti, contra ordinem capituli, contra rationem Magistri, contra conditionem Pastoris? Si tibi hinc rupem, hinc arenam ostenderem, quam tu pro fundamento eligeres, quæ subsidere, & moveri potest, aut quæ non potest? Si duos tibi ad magisterium offerrem, alterum tam copiosâ doctrinâ instructum, ut falsi docendo non posset, alterum mediocriter tinctum, & saepe prolapsum: quem tu Magistrum diceres? in errores expositum, an securum veritatis & nunquam erraturum? Eâdem ergo ratione, si Ecclesia falli non potest, sed Papa potest, Ecclesiæ dicendum erat, non Papæ: *Pasce oves meas: Pro te oravi, ut non deficiat fides tua: Super te edificabo Vicarium meum:* & denique Ecclesia Magistra Papæ, Ecclesia Vicaria Christi, Ecclesia ovium & ipsius etiam Pontificis pastor; quæ omnia & per se sunt absurda, & apud nullos Patres, in nullis Conciliis audita.

V. *Quinta Ratio* deducitur ab experientia; quæ enim fieri possunt, aliquando facta sunt, nec ullam aut in cælis aut in terris potentiam reperies, quæ aliquando in actum non eruperit: potest ignis calefacere, & ideò nullum reperies, qui non aliquando calefecerit: potest vitis vinum proferre, & ideò nulla vitis est, quæ

Uuu

non

non aliquando protulerit, aut si non protulerit, ideò est, quia non potuit: potest homo in sanctum evadere, & ideò aliquos saltem inter homines reperies, qui evaserunt: sicut ex adverso, quæ nunquam in aliqua specie facta sunt, creduntur fieri non posse: quemadmodum quia nunquam duo phœnices visi sunt, nunquam boves alati, nunquam aquilæ cornigeræ, nunquam ignes frigidi: ideò & optimo quidem jure negamus ea fieri posse; alioquin frustra aliquid natura faceret, hoc est, potentiam sterilem, & nunquam in actum aliquem prodeuntem: ex quo etiam principio Philosophi docent cœlum incorruptibilis naturæ esse, quia nulla in cœlis corruptio à tot sæculis observata est. Eodem modo cum ab Ecclesia condita nunquam è cathedra Petri hæresis aliqua prodierit, ut in solutione objectionum dicetur, aut nimis imprudens est, qui dicit fieri posse, quæ nunquam facta sunt; aut nimis timidus, qui timet, ne aliquando contingant, quæ nunquam contigerunt, maxime ubi tot alia adminicula in consultum hunc, & panicum timorem absolunt. In cathedra Constantinopolitana Macedonius, Nestorius, Sergius, hæresiarchæ federunt. In Alexandrina Gregorius & Lucius Ariani, Dioscorus Eutychianus, Cyrus Monothelita. In Antiochena Paulus Samosatenus, Petrus Eutychianus, Mæcarius Monothelita. In Hierosolymitana Joannes Origenista, Irenæus & Hilarius Ariani. Romanam verò sedem nulla hæresis occupavit, ut supra ostendimus, quam propterea S. Hieronymus *epist. ad Damasum, Fontem signatum vocat, hortumq; conclusum, & apud quam solam incorrupta Patrum servatur hæreditas:* & planè admiratione omnino dignum est, hanc solam à Paganis, ab hæreticis, à schismaticis, dolis, armis, suppliciisque & certatim appetitam stetit, semper invictam, nec invictam tantum, sed etiam invulneratam, cadentibus interim, à quibus infestabatur, hostibus, totoque Orbe pro hæreticis & perduellibus, qui cum illa non sentirent, conclamatis. Quid Wandalus, quid Gothus, quid Græcus, quid Constantius, quid Valens non egit? nam Nerones & Diocletianos tacemus, ut hanc virginem corrumpere, sedarentque, toto penè Orbe, in unam & inermem armato? vicit tamen illa, floremque Religionis tam illibatam servavit, quam accepit, ostenditque verum fuisse illud sui sponsivaticinium: *Porte inferi non prævalebunt adversus illam.* Et illud *Isaie 50. Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret; ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem,* &

Ingues lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis, & scies quia ego Dominus salvator, & Redemptor tuus: & venient ad te curvi filij eorum, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini. Cùm ergo fides Romanæ Sedis tunc non defecerit, cùm aliæ omnes defecerunt, maximèq; timeri poterat, ne hæresi aliquâ corrumperetur; planè dicendum est deficere eam non posse, nam si posset, jam defecisset.

VI. *Sexta Ratio.* Hoc privilegium infallibilis doctrinæ, quod Pontifici asserimus, ex duobus capitibus, aut negari summo Pontifici, aut concedi debet; ex voluntate videlicet Dei per scripturas declarata, & ex bono Ecclesiæ regimine; sed utroque titulo cogimur hanc infallibilitatem Pontifici asserere; Scriptura enim sacra iisdem verbis, quibus dicit Ecclesiam errare non posse, iisdem de Pontifice hoc dicit: si enim Ecclesia idè errare non potest, quia *ad Timotheum 3.* dicitur *columna & firmamentum veritatis:* Et *Qui Ecclesiam non audit, est instar Ethnici & Publicani habendus:* idem parique jure de Petro dicendum erit, qui *fundamentum Ecclesiæ appellatur, cui claves Regni cælorum traduntur, pro cuius fide, ne deficiat, Christus orat: & cui soli, ac tertio precipit: Si amas me, pasce oves meas.* Aut ergo verba scripturæ Ecclesiæ infallibilitatem non probant, aut probant etiam Petri ejusque successorum. Bonum verò Ecclesiæ Regimen quod attinet, certum est Ecclesiæ magis conducere, ut Pastorem infallibilem habeat, & cujus doctrina nihil falsitatis admittat, quàm errori obnoxium; hoc enim quàm plurimis nocet, illud nemini. Ergo quocumque respicias, non debet hoc privilegium negari Vicario Christi.


VII. *Septima Ratio.* Qui dicunt in rebus fidei judicandis errare Pontificem posse, non id tantum agunt, ut hanc opinionem intra scholas & arenam disputationis retineant; sed ut illam quàm maximè ad mores & praxin extendant; & ita Pontifice aliquid statuente, contrarium ipsi & dicunt, & sentiunt, negantq; fidem suam, quæ certa esse debet, dubiæ Pontificis sententiæ allegari posse. Ex hoc autem quàm plurimæ in mores, ipsamq; Religionem corruptelæ existunt. Primò enim quilibet Judicem Pontificis agit; damnat, quos ille absolvit; absolvit, quos damnat, pessimæque assuescitur libertati, summi Pastoris sententias examinandi, tum etiam rescindendi, ac denique contemnendi; nascitur enim ex pugna & victoria victi tanquam aut paris, aut infe-

rioris contemptus, & qui modò Papam Concilio submittebant, jam etiam sibi, dum judicant, damnantque, submitunt. Deinde cùm opiniones, quas summi Pontifices damnant prohibentque, semper Religioni aut moribus infestæ sint & perniciosæ; si eas possum n'hilominùs ut honestas amplecti, & in opus redigere, quanta in Ecclesiam confusio, in mores licentia, & perniciès grassabitur? v.g. hanc Jansenij propositionem: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino mortuum esse, aut sanguinem fuisse:* damnavit ut hæreticam Innocentius X. Istam verò: *Licet honeste aliàs matrona, qua amoris succubuit, ne honoris sacluram faciat, foetum medicamentis abigere:* hanc ut temerariam, scandalosam, & omnino falsam, alter Innocentius XI. æquè proscriptam voluit; si tu ergo illorum Pontificum sententiis insuper habitis, eoque prætextu, quòd extra Concilium errare possint, contrariam opinionem, ut probabilem teneas exercèasque, nec per censuram incertæ auctoritatis præjudicium illis factum dicas, quæ scandala, turpitudines, corruptelæ Ecclesiam interim fœdabunt? quàmque erit serum, incertumque à Concilio remedium, morbo jam latè fuso, & per tot clades animarum vagante? Quòd si hæc libertas contra Principum leges & imperia opinandi agendiq; re omnem Rempublicam, statumque politicum perderet, quanto magis perdet Christianam, quæ ex morum fideique integritate constat? ut proinde nulli umquam venire in mentem possit, eâ ratione Christum Ecclesiam suam instituisse, quâ si Princeps secularis institueret, omnium reprehensionem jure optimo mereretur. Et qui in fidei & morum Decretis errare posse Pontificem dicunt, multo magis de Episcopis, aliisque Prælatiis dicunt, multo que istis liberius, quàm Pontifici obstitent: en ergo pulchram in Ecclesia majorum minorumque harmoniam ac concentum: Afferit Papa, Episcopus negat. Episcopus præcipit, Clericus non obtemperat. Clericus explicat, populus aliter intelligit. Quod superiores nigrum esse dicunt, subditi album vocant, pulcherrimâ imperandi & namquam obtemperandi conditione.

VIII. *Dices:* Pontificem extra Concilium errori quidem obnoxium esse, ejus tamen decreta observari interim debere, donec in Concilio rescindantur.

Resp. Si hæc ita fierent, ut dicuntur, tolerari utcumque eam sententiam

sententiam posse; jam verò contrarium experimur: si enim, ut dicunt, Papa interim obediendum est, cur non obediunt Leoni X. in Concilio Lateranensi, cur non Eugenio IV. in Florentino, cur non Pio II. aliisque supra productis, qui omnes definiunt Concilium Pontifici subesse, & hujus cum è cathedra docet, sententias nulli errori misceri posse? cur Concilij partes occupant, & quod nullum Concilium ausum est definire, definiunt ipsi, perinde ac si non Concilium tantum supra Papam, sed seipsos supra Concilium attollant, & potestatem ab hoc nunquam usurpatam involent ipsi præcipitâ in Pontificem ejusque auctoritatem sententiâ. Deinde si concedunt decretis fidei à Pontifice factis semel credendum esse, dum interim Concilium cogatur; concedere debent, etiam post Concilium, & semper credendum esse, quia fides nunquam mutatur, & quod semel hoc semper credendum est, cum veritas semper sit eadem, nec vultum variet: & quod heri verum fuit, hoc hodie, hoc cælestinâ, hoc perendie, hoc post centum, post mille annos, semperque verum erit.



§. VIII.

Censuræ Patrum & Doctorum.

Summaria.

1. *Censuræ Gregorij IV. PP. S. Nicolai I. S. Hieronymi, Pelagij PP. Hugonis Etheriani, S. Leonis IX. Francisci Suarez, Melchioris Cani Episc. Canariensis, S. Thomæ, S. Antonini, &c.*
2. *Respond. ad objecta.*

I.



Uæ Patrum de illis sententia fuerit, qui summorum Pontificum de fide aut moribus Decreta eo pratextu, quod errare possint, non observant, totidem nos illorum verbis referemus, nihil ex nostro adjecturi.

Gregorius. IV. in epist. ad Episcopos Gallia, Germania, Europa & per universas Provincias constitutos, quæ habetur in c. preceptis d. 12. Preceptis, inquit, Apostolicis, non durâ superbiâ resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia & Apostolica auctoritate iussa sunt, salutariter impleantur, si eisdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis.

S. Nicolaus I. in epist. ad Mediolanenses, quæque in synodo Oecumenica 8. Act. 1. & 8. confirmata est, habeturque in c. omnes d. 22. Fidem, inquit, violat, qui adversus illam agit, quæ Mater est fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis pratulisse cognoscitur.

S. Hieronymus epist. ad Damasum quæ habetur in c. quoniam 24. q. 1. Ego nullum premium, nisi Christum secutus, Beatitudini tuæ, hoc est, cathedræ Petri communionem consocior: super illam Petram adificatam Ecclesiam scio: quicumque, extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio: quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Pelagius PP. in c. quoniam 24. q. 1. Contra Apostolicam sedem temere credentes pessima dividit opinio, quod schisma, specialiter esse denuntiat Augustinus dicens de talibus: Adversus auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica sede epistolas accipere meruerunt temerè credendo, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.

Hugo Etherianus, qui scripsit sub Alex. III. PP. Vir planè doctissimus in Comment. de Process. spiritus S. l. 3. c. 10. & habetur in biblioth. Patrum: Equum est, ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enuntiat. Qui autem primæ sedis, immo totius orbis Præsuli resistunt, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumacia iudicio plebentur. Quicumque naviculam Christi spernit, incautè navigat, & nisi plumbeas moles pervicacitatis rejiciat, influent maria.

S. Leo IX. epist. ad Michaellem Patriarcham Constantinop. quam recitat Baronius ad annum MLIV. n. 14. Quid hoc monstri est frater charissimè?

ans. I

e unu

riſſimè? Romana Eccleſia caput & Mater Eccleſiarum, membra & fili-
as non habet? Ex quomodo poteſt dici caput, aut Mater? credimus enim,
propter quod & loquimur, atque conſtanter profiteſcemur: Romana Eccleſia
adeo non eſt ſola, vel ſicut tu putas, una; ut in toto orbe terrarum, quacunq;
natio diſſentit ſuperbè ab ea, non ſit jam dicenda vel habenda Eccleſia ali-
qua, ſed omnino nulla, quin potiùs Conciliabulum hæreticorum, aut conven-
ticulum ſchiſmaticorum, & Synagoga Sathana.

Franciſcus Suarez in Tr. de fide d. 20. ſect. 3. n. 22. At verò tam de
hac definitione (Bonifacii VIII. in extravag. unam ſanctam de major.
&c.) quàm de aliis decretis Pontificum auſus eſt dictus Rogerus reſponde-
re, non eſſe de fide certum, Pontificem definientem ſine Concilio generali,
non poſſe errare. Sed eſt reſponſio, non ſolum nimis temeraria, ſed etiam er-
ronea: nam licet olim forte aſſe aliqui Doctores Catholici ſine pertinacia in
hoc dubitaverint, vel erraverint; jam verò tam eſt conſtans Eccleſie con-
ſenſus, & Catholicorum Scriptorum concors de hac veritate ſententia, ut
eam in dubium revocare, nullo modo liceat.

Idem Suarez Tr. de fide d. 5. ſect. 8. n. 4. Nihilominus veritas Ca-
tholica eſt, Pontificem definientem ex Cathedra, eſſe regulam fidei, quæ er-
rare non poteſt, quando aliquid authenticè proponit univerſe Eccleſie, tan-
quam de fide divina credendum: ita docem hoc tempore omnes Catholici
Doctores, & cenſeo, eſſe rem de fide certam.

Melchior Canus Epicoſopus Canarienſis, quiſque Concilio Tri-
dentino interfuit, de locis Theolog. l. 6. c. 6. Illud aſſero, ac fidenter quidem
aſſero, peſtem eos Eccleſie ac perniciem aſſerre, qui aut negant Romanum
Pontificem Petro in fidei doctrinaq; auctoritate ſucceedere, aut cerie aſtruunt
ſummum Eccleſie Paſtorem, quicumque tamen ille ſit, errare in fidei judi-
cio poſſe. Virumque ſcilicet hæretici faciunt; qui verò illis in utroq; re-
pugnant, hi in Eccleſia Catholici habentur. Quamobrem non equidem
intelligo, quonam conſilio fideles quidam hæreticorum, quàm Catholicor-
um opinionibus favere maliunt, nam hæretici video quid ſequantur: nem-
pe vivendi docendiq; licentiam, & in his omnibus impunitatem. Et volunt
ſine capite corpus, ut neq; pes, neque mens ſuum officium faciant. Volunt
ſine Paſtore ovæ, ut cùm lupi ipſi ſint, Paſtores tamen eſſe videantur.
Volum ſine iudice lites, ut diſſidiorum nullus finis ſit. Atque ita cùm amo-
to arbitrio ad verſus Doctos dimicent, victores à turba judicentur. Tur-
bari demum omnia volunt, quoniam, ut in Hiſpanorum proverbio eſt, tur-
bantium

batum flumen piscatorum est lucrum: nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur; tunc enim sequimur, quoniam communis Catholicorum est. Præterquam quod ea sentiunt, quæ sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant, Pontificum decreta finiunt, veterum sanctorum chorus concinit, Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditum probat, perpetuus Ecclesie usus observat.

Adjungi his possunt censuræ omnium illorum Patrum, qui Concilium universale Papæ submittunt, S. videl. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Antonini, & aliorum quos supra protulimus.

II. *Dices: Sanctorum Patrum censuris, quas modò recitavimus, eos tantum perstringi, qui aut à sede Apostolica deficiunt, aut illius decretis non obtemperant; neutrum ab iis fieri, qui Pontificem extra Concilium errare posse dicunt: hanc enim sententiam à Sede Apostolica damnatam non esse, conjungi que cum obsequio, cum reverentia Pontifici debitis.*

*Resp. Eos qui doctrinam sedem que Romanam erroris insimulant, non gratis id agere, neque ingenij tantum calami que exercendi gratia: sed in opus etiam & praxin micare, còque velut clypeo, quæ à Pontifice decernuntur, sed non placent, repellere: hos verò, ut diximus, graviter à SS. Patribus notari, ut illorum verba, quæ clarissima sunt, satis ostendunt: immo posita semel fallibilitate Pontificis, decreta fidei ab hoc constituta, ne quidem à volentibus observari possunt, quis enim certâ & divinâ fide id credat, quod certum non est, quod potest falso misceri? Quod si Patres tam severè in illos declamant, qui à sede Apostolica in uno alteròve descendunt, quid de illis dicturi essent, qui totam hujus auctoritatem in ipsa velut radice succidunt? Quod verò dicitur: nihil à summis Pontificibus in hac quæstione definitum esse, id quam à vero sit alienum, patet ex supra disputatis. Et demus ita esse, tacet Petrus, quia non auditur: *Si enim dixerit vobis, non credetis, & si interrogaverit, non respondebitis illi:* qui enim dicenti credant, qui ideò fallibilem volunt, ut credere non teneantur? Si Leonem, si Eugenium, si Sixtum, si tot Concilia non audistis, Innocentium audietis? At, inquiunt, omnem Pontificibus venerationem proferimus. Omnino sic à Catholicis oporteret: ceterum videntur nobis *dicere, sed non facere:* nec enim hanc novam obsequendi formam intelligimus; obsequimur, sed si jubet, non paremus: si minatur, contemnimus: si monet, non audi-*

audimus: si statuit, non credimus: si appellantes recipit, tumultuamur:
& tamen obsequimur. Quis enim verò non dicimus Rex aliquis aut
Princeps, sed vel Paterfamilias à servis à filiis hoc obsequium ferret?
Faciunt ergo quod dicunt, & absoluta res est, aut si non faciunt, saltem
nec dicant, ne ludibrium inobservantiæ adjungant.



§. IX.

Respondetur ad objecta.

Summaria.

1. *Posse Papam in hæresin personalem cadere, non doctrinalem.*
2. *Non ideò frustra esse concilia, quia Papà falli non potest.*
3. *Posse Pontificem sine Conciliis necessariam dogmatis definiendis industriam adhibere.*
4. *Cypriani contentiones magnum argumentum esse infallibilitatis Pontificiæ.*
5. *Cur Pontifex hæresin docere non possit?*
6. *Quid de erroribus S. Petri?*
7. *Et Zephyrini?*
8. *Et Liberij?*
9. *Et Felicis?*
10. *Et II. Gelasij?*
12. *Et Vigilij?*
13. *Et Honorij I.?*
14. *Et aliorum Pontificum?*

XXX

15. *Non*

15. *Non semper Pontificum constitutiones ad fidem pertinere.*
 16. *Errare possunt in questionibus facti, sed non omnibus.*
 17. *Post Concilium Constantiense de fide est, hunc in individuo legitimum esse Papam.*
 18. *Contrariam sententiam nec à ratione, nec ab auctoritate probabilem esse.*

I.



*O*pponitur 1. Sancti Patres, ipsique canones dicunt Pontificem in hæresim lapsum judicari à Concilio debere, supponunt ergo posse in hæresim incidere.

Resp. Canones expressè loqui de errore personali non judiciali: hoc est, posse Pontificem hæreticum esse, non posse hæresim publicè & è cathedra docere: hoc nos solùm negamus, hoc Petro & Ecclesie promissum est. Error enim personalis, aut occultus est, aut privatis scriptionibus à Pontifice, & sine imperio inspersus, Ecclesie nihil nocet, cum omnes sciant Pontificem extra cathedram errare posse, nec illius privatas opiniones alio animo, aliòve vultu, quàm privati Doctoris legant, tantùmque illis tribuant, quantum ponderis & rationum habent. Habemúsque hujus rei exemplum in veteri testamento *Num. 14.* Ubi Balaam propheta Dei, quamvis vellet, maximèque percuperet populo Israelitico maledicere, nunquam tamen Deo prohibente potuit: quod Regi, à quo ad execrandum conductus erat, confessus: *Non potero præterire, inquit, sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo, etiamsi dederit Balac plenam domum suam argenti, & auri, sed quidquid Dominus dixerit hoc loquar.* Et in eodem antiquo testamento summo sacerdoti Oraculum non canebat, nisi sacris induto & Pontificem agenti. Idem dicas de Romano Pontifice.

At, inquires, hoc perpetuum miraculum est, non posse hominem errare,

rare, cum hoc sit maximè humanum: multòque magis Papam hæreticum non posse hæresin docere, cum tamen *ex abundantia cordis os loquatur, nec possit arbor mala fructus bonos facere.*

Respondetur. Si per miraculum rem intelligas viribus naturæ superiorem, verum dicis: sed hoc in Ecclesia non est novum, immo quotidianum, & penè momentaneum, ut apparet in justificatione peccatorum, administratione sacramentorum, sacrificio incruento aliisque mille: nec enim Ecclesiam natura, sed gratia munit, conservatque; nec Deo difficilius est supra, quàm juxta naturam agere, cum omnia voluntate & nutu agat, ipsique naturæ nihil magis sit innatum, & proprium, quàm volenti Deo obedire, adeò ut quidquid, agente Deo, naturæ supra naturam accidit, sit illi magis consentaneum, quam ipsa natura, quam Philosophi vocant *potentiam obedientialem.*

II. *Non obstat* 2. Frustra esse Concilia, si Papa sine illis errare non potest.

Resp. Certum esse, & negari à nemine posse, etiam sine Conciliis definitores fidei posse, & trecentis ac amplius annis definitas fuisse; nec propterea tamen frustra Concilia sunt: nam & sine rheda possum & sine equis iter facere, nec ista tamen frustra sunt. Roma teste Plinio *l. 29. c. 7.* sexcentis annis medicis caruit, multòque pluribus sine magnete vela fecit: non ideo tamen nullus est magnetis & medicorum usus. Pontifex ergo Concilium vocat, non quia sine Concilio errori subiacet; sed quia in Conciliis, quò plura sunt capita, eò plures sunt oculi linguarumque, quæ vident & consulunt, tantòque citiùs veritas reperitur, quanto à pluribus quæritur. In Concilio omnium nationum Episcopi sunt, qui singularum varias necessitates, conditiones, mores exponunt, & accommodata singulis remedia suadent, dissentanea refutant. Et cum non sufficiat leges ferre, nisi etiam latæ executioni dentur; in Conciliis de modo exequendi agitur, nec ullus exceptioni locus datur, ubi omnes auditi, communiq; omnium consilio leges decretæ; cessantque querelæ subditorum, ubi non unius tantum, sed omnium voto obstrictos se vident, pudetque omnes accusare. Hæc sunt bona Conciliorum, quæ tamen cum multis magnisq; periculis aliquando vinciantur, Pontificis arbitrio sedet, quando cum illis, quando sine illis agere velit: illi enim creditæ sunt oves, illi traditæ claves, in illo fundata Ecclesia, nullâ Concilij mentione,

III. *Non obstat* 3. Assistentiam Spiritus S. Romano Pontifici sub ea conditione promissam, ut is in rebus fidei declarandis sufficientem adhibeat diligentiam, humanoque procedat modo, prout in rebus arduis, summi que momenti homines solent, nec enim si dormienti aut intemperis agitato constitutio aliqua excideret, ea continuo pro fidei dogmate recipienda esset: ex quo duplex argumentum ducitur. Primum: quia ut huic necessariæ diligentia satisfiat, videtur Concilium necessarium omnino esse, hujus enim indictio est supremus humanæ diligentia gradus, cum major adhiberi non possit. Secundum: quia nobis constare non potest, an Pontifex sufficientem, & inveniendæ veritati necessariam diligentiam adhibuerit; ergo etiam constare non potest de veritate ab eo factæ decisionis, quæ illi, ut diximus, diligentia alligata est.

Resp. Verum esse, oportere Romanum Pontificem adhibitis pro negotii qualitate Doctorum consiliis, maturæque expensâ veritate res fidei discernere, nec Deum præcipitatis in re tanta, & temerariis sententiis radium suum accommodare: sed negamus ad has humanæ industria partes explendas necessaria esse Concilia; si enim necessaria, cur in Primitiva Ecclesia, tot hæresibus agitata cessatum à Conciliis est? immo, ut sæpè diximus, impedimento hæc potius sunt, ubi lenta remedia morbus non admittit; quod maximè in hæresi extinguenda verum est, quæ, nisi favillam opprimas, in incendium erumpit. Quod si casum aliquem ponas, in quo sit opus Concilio, Deus, qui nunquam Ecclesiæ in necessariis deest, neque hîc deerit: neque tunc tamen Pontificis sententia plurimum suffragiis alligata erit, sed illi parti, quam æquiores crediderit, quamvis minori: nec enim ad prudentiam, humanamque industriam pertinet pluribus semper adhærere, sed melioribus; quod optimè Historicus animadvertit, ubi *l. 1. decade* 3. cum recitasset Hannonis contra Hannibalem perorantis sententiam, hæc subjungit: *Pauci ac ferme optimus quisque Hannoni assentiebantur: sed in plerumque fit, major pars meliorem vicit.*

At unde constabit diligentiam à Pontifice præstitam, qualem causa requirit, cum hoc sit facti, & à Pontifice errari possit?

Respondemus: Concilio idem opponi posse, nam & hoc in facto errare potest. Sunt ergo, ut infra dicetur, aliqua, quæ ad factum quidem spectant; sed quia à Deo revelata sunt, aut saltem cum revelatis connecta, & ad publicum Ecclesiæ bonum spectant, in iis æquè ac in Jurisquæ-
stioni-

stionibus nec Pontifex, nec Ecclesia errare, aut deficere possunt, Deo enim curæ est, ne desint fini à se præfixo media fini accommodata. Cum ergo voluerit Deus sententias fidei à Pontifice latis, ratas haberi, fixasque, nec errore aliquo corruptas; ipse etiam curabit, ne sint temeraria, cæcòque impetu, & absque consilio profusa: quemadmodum, quia Deus Abrahæ filium promiserat, & ex filio perpetuam successionem, ipsū inque Messiam; ad eundem spectavit Deum, ut alteri filius nasceretur, nec ante tempus, quamvis occidi iussus, quamvis jam gladio subiectus, vitam finiret: quod pulchrè S. Paulus *ad Romanos*, c. 4. exprimens: *Et non infirmatus est, inquit, Abraham fide, nec consideravi corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Sara. In rapromissione etiam Dei non habuit diffidentiam, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quacunque promisit, potens est & facere.*

IV. *Nec obstat* 4. Sanctum Cyprianum Episcopum & Martyrem in Synodo 80. Episcoporum, contra expressam Stephani Papæ definitionem, statuisse hæreticos rebaptizandos esse, immò in eundem Stephanum acriter invecum, ut patet ex illius *epist. ad Pompejanum*. Sensit ergo B. Cyprianus aliique Episcopi, non esse, quæ à Papa definiuntur, omnino certa, posseque integrâ fide improbari; alioquin hæreticus esset Cyprianus, & in hæresi mortuus, quem tamen Ecclesia semper ut Sanctum venerata est.

Resp. Antequam huic argumento satisfiat, repetenda est dissensionum origo, quæ Cyprianum in Stephanum Papam concitârunt majori, quàm Sanctum & Martyrem decuit, agitatione; ad eò ingentis animi viris facilius est ferrum & pœnas, quàm affectus & animum vincere. Res sic habuit. Novatus in Africa Episcopus, gravium illic flagitiorum postulatus, Romam concesserat, homo turbidissimi ingenii, serendisque contentionibus unice natus, ac ut verbis Cypriani utamur: *Curiosus ut proderet, adulator ut faleret, nunquam fidelis, ut diligeret, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad cœnenda fides naufragia.* Hic ubi Romæ fuit, excitato schismate, Cleròque Romano in partes ac factiones diviso, Cornelio legitimo Pontifici Novatianum Sacerdotem Romanum opponit, eumque à paucis Episcopis Pontificem renuntiarî curat. Additæ schismati hæreses: negabat enim lapsos, quamvis facti pœniteret, recipi debere; hinc se suosque Catharos, hoc est, mundos

appellabat, gestabatque candidam vestem, sanctitatis insigne, quòd nollet peccantibus misceri; eos qui à Catholicis Baptismum acceperant, tingi iterum jubebat, quòd immundos, indignosque diceret, ut suis jungerentur. Hinc Cypriani errores, litésque cum Stephano: negabat Baptismum ab hæreticis collatum, validum esse, sed necessariò repetendum; hæreticos enim extra Ecclesiam esse; extra Ecclesiam verò nec fidem, nec Sacramenta, quæ fidei sigilla sunt, dari. Ad hunc errorem muniendum tres in Africa Synodi celebratæ, in quibus Cypriani potissimum auctoritate damnatus hæreticorum Baptismus repetique iustus. Ex Synodo Carthagenensi, ad quam 87. Episcopi convenerant, datæ ad Stephanum Papam litteræ, quibus quæ statuta essent, docebatur. Improbavit Stephanus perperam facta, resciditque in hæc verba: *Si quis à quacunque hæresi ad Ecclesiam venerit, nihil innovetur: nisi, quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Exarsit ad hoc responsum Cyprianus, suamque & tot Conciliorum sententiam damnari haud ferens, calamus in Stephanum armavit, scripsitque ad Pompejum Sabratensem Episcopum epistolam illam 74. flammæ, myrrhæque plenam, & in qua Martyris oblitus hominem se ostendit. Ceterum quamvis hunc de rebaptizandis hæreticis ante Cyprianum Tertullianus & Montanistæ errorem invexerint, multæque ante turbas Africanas in Oriente Synodi confirmârint, præsertim Iconiensis, cui Firmilianus Cæsareæ Episcopus interfuit *epist. 75. Cypriani. Euseb. l. 71. 4. & 6. Philastr. de hæres. c. 50.* Præpotuit tamen veritas, omnesque Catholici Stephano Pontifici adhæserunt, & Cypriani sententia damnata est in Concilio Arelatenli *l. 1. cap. 8. & Nicæno c. 19.* & testatur S. Hieronymus *l. contra Luciferianos: Synodus*, inquit, *Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Sarnosatani discipulis.* Imò illi ipsi, qui maximè pro hac Cypriani sententia pugnaverant, primi postea impugnârunt, Stephani definitionem amplexi. S. Augustinus *epist. 48. ad Vincentium* existimat Cyprianum ipsum sententiam mutasse; idem habet *l. 2. contra Donatistas c. 4.* Illud quoque certum est, sic inter Cyprianum & Stephanum pugnatum esse, ut neuter hæresis alterum damnaret: de Cypriano constat ex epistola synodica ad Stephanum Papam. S. Hieronymo *adversus Luciferianos. S. Cypriano epist. 29. & ep. 72. S. Augustino l. 2. contra Donatistas c. ult. & l. 3. c. 3. 4. 5. 6. & l. 7. c. 1. & contra Cresconium l. 3. c. 1. & 2.* De Stephano verò, non fuisse ab hoc quæstionem definitam, nec Cypriani errorem hæ-

reli no-

res notatum scribit S. Augustinus l. 5. contra Donatum c. 25. Eusebius l. 7. c. 4. ubi notat Stephanum excommunicationem tantum Baptisma repetentibus minatum esse: patetque ex ipsa Stephani ad Carthaginense Concilium sententia, quam refert Eusebius loco cit. Cyprianus epist. 74. ubi nihil aliud Stephanus dicit, quam: *Nihil ab antiquis traditionibus quoad hæreticos, qui resipiscunt, redeuntque ad Ecclesiam, innovandum esse.* Eusebius l. 7. c. 3. *Stephanus, inquit, nihil novi aut alieni à traditione ex temporibus Apostolorum derivatamoliendum ratus, hac de re vehementer commotus fuit.*

Hæc prænotatis facile ad argumentum respondetur: Cyprianum videlicet quantumvis contra Stephanum sentiret, non tamen hæreticum fuisse, idque multis rationibus. *Primo:* Quia Stephanus nihil adhuc è cathedra definierat, nec opinionem suam ad fidem pertinere dixerat, contrariam verò ad hæresin; non potuit ergo Cyprianus hæreticus esse, quæstione necdum decisâ, nec ad fidem spectante. *Secundo:* Quia nondum tot Conciliorum, Patrum, canonumque decreta emerferant, nec Ecclesiæ praxis adhuc satis ostenderat, extra Concilium errare Papam non posse; immo neque hoc temporis, qui contrarium asserunt, hæresis petimus.

Errasse tamen Cyprianum, cum Stephano Pontifici se opposuit, nec culpâ caruisse ipse rei eventus Ecclesiæque auctoritas ostendit, quæ postea Cypriani sententiam pro hæresi habuit: & Patres Cyprianum quantumvis sanctum & Martyrem intemperantiæ damnârunt: & S. Augustinus l. 1. contra Donatistas c. 18. dicit: *Hanc culpam Cypriani, falce Martyrij fuisse purgatam. Et c. 19. Fuisse hoc peccatum, quasi navum in candore sanctæ illius animæ, quam ubera charitatis tegebant.*

Hoc ergo Cypriani exemplum non tantum sententiam nostram non impugnat, sed illam vehementer confirmat. Si enim Cyprianus & sanctus & Martyr, doctrinæque præcipuus, & cujus sententiæ quàm plurima Concilia, ac ferè omnes in Africa & Oriente Episcopi subscripserant, & sanctitate florentissimi, ubi tamen à Pontificis Romani sententia deflexit, & ipse adeò graviter erravit, & secum totum illud sanctorum Doctorumque agmen in errorem traxit; cui se periculo exponunt, qui nec doctrinâ, nec sanctitate Cypriani sunt, nec habent pro se tot Conciliorum Patrumque suffragia, nec tamen Pontificum sententias observant, sed eo prætextu, quod errores admittant, neglectui habent? illi qui usque

usque ad cœlos ascenderant, qui nidum suum inter stellas collocarant, qui que Ecclesiæ columnæ, & turres Religionis videbantur, illi, inquam, à Petro avulsi ceciderunt: tu canna & vitrum illis cadentibus stationem tibi promittis? Audiendus est Vincentius Lyrinensis, qui quàm multis validisque rationibus suam causam Cyprianus munierit, ostendit; ut tanto clariùs evadat, Pontificis sententias omni ratione majores esse, utpote quæ Deum à se habeant, nec ullam esse causam tam speciosè instructam, quæ illius auctoritati non cedat. Sic ergo Lyrinensis contra hæreses cap. 9. scribit: *Intelligebat ergo vir sanctus & prudens (Stephanus Papa) nihil aliud ratione pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filius consignarentur; nõsque Religionem, non quæ vellemus, ducere, sed potius quæ illa duceret, sequi oportere: idque esse proprium Christiane modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotij exitus? quis utique nisi iustitatus & solutus? retenta est scilicet antiquitas, & explosa novitas. Sed forte tunc ipsi novitæ ad inventionem patrocinia defuerunt. Immo verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divina legis Oracula, sed planè novo ac malo more intellecta; ut mihi illa conspiratio nullo modo destrui posse videatur, nisi solam tanti moliminis causam ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destruisset. Postremo ipsius Africani Concilii, sive decreti quæ vires? donante Deo, nulla: sed universa tanquam somnia, tanquam f. b. ille, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.*

V. *Non obstat 5.* Posse Pontifices in alia peccata incidere, Simoniæ, avaritiæ, superbiæ, &c. cur non in hæresin, cum hæc plerumque ex illis consequatur?

Resp. Aliud esse Pontificem in hæresin cadere, aliud posse hæresin ex cathedra docere; hoc negamus: cur hoc? quia Christus non pro Petri humilitate, charitate, iustitiis &c. rogavit, sed pro fide ne deficeret: in hæc Ecclesiam Christus fundavit, huic Patres, Concilia, Ecclesiæ traditio testimonium ferunt; nec à Christo dictum est: quæ faciunt facite; oportet ergo doctrinam incorruptam esse, non exempla: hæc fædari possunt non illa.

VI. *Non obstat 6.* Petrum bis, & gravissimè errasse, nam *Matthæi 26.* Christum negavit: & *v. d. Galatæi 2.* coëgit gentes judaizare, unde

de à B. Paulo graviter reprehensus est. Si ergo Petrus errare potuit, quanto magis Papa Petri successor?

Resp. Petrum ore, non corde Christum negasse, cum nondum Pontifex esset; Primatus enim Ecclesie promissus illi est *Matthai 16.* ante passionem, sed collatus post Resurrectionem *Joann. ult.* fuit ergo hic error vel potius culpa Petri piscatoris, non Petri Pontificis. Deinde non docuit Petrus definitivè que Christum negandum esse, sic que non fuit ille error *doctrina*, aut *cathedra*, sed *Persona*, de quo non agimus. Alium errorem quod spectat; iterum assumitur factum incertum, ex quo nihil certi deduci potest: Græci enim Patres plerique & cum iis Hieronymus *epist. 89. ad Augustinum*, nullum in Petro errorem agnoscunt, sed omnia ex composito simulatè que, non seriò inter Petrum Paulum que acta fuisse dicunt, ut Judæos juxta & Gentiles lucrarentur, ita *Origenes, Didymus, Apollinaris, Eusebius, Theodorus Heracleotes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenicus, ad Galat. 2. Cassianus collat. 17. & Hieronymus epist. 89. ad Augustin.* Hi omnes Petrum excusant, eum que simulatè tantum à Paulo redargutum dicunt, alioquin multo majori Paulum reprehensione dignum fore, qui legales ceremonias multo sapiùs & accuratius, quam ipse Petrus adhibuit, nam ut à Judæis gratiam iniret, Timotheum patre gentili natum circumcidit *Actor. 16.* caput Nazaræorum more totondit *Act. 18.* Hierosolymis cum Judæis se purificavit *Actor. 21.* denique Judæus Judæis factus est *1. ad Corinth.* Cur ergo in Petro tam indignè tulit, damnavit que quæ toties usurpavit ipse? & cum oporteat aut Petrum in culpam aut Paulum vocari, Petrum si justè correptus est, Paulum si injustè corripuit, immo & fecerat, quæ in alio suggillaverat; cur non potius, inquit, Petrum Apostolorum Principem absolvamus? immo utrum que, quod fiet, si nec Petrum errasse dicamus, nec Paulum seriò objurgasse, sed in speciem, & simulatè. Hæc Græcorum Patrum & Hieronymi sententia est. Latini errasse Petrum fatentur non quidem in ipsa rei substantia (nec enim usum Legalium necessarium credebant, cum ipse in Concilio Hierosolymitano contrarium paullo antè definivisset *Actor. 15.*) sed in modo, & loci ac temporum circumstantiis: sic enim à Gentilibus secesserat, eorum cibis abstinebat, totus que cum Judæis erat, ut auctoritate, exemplo que, quod pro lege fideles habebant, quam plurimos in errorem inscius induceret, quod crederent necessariò à Gentilium cibis,

Yyy

quos

quos tanto studio Petrus vitabat, abstinentum esse, ut eundemque Judicis ritibus, quos ille tam accuratè palamque colebat, magno Gentilium malo, qui propterea Christianos averfabantur, & isti in Judaicos ritus, tamquam necessarios se induebant: hanc ob causam Petrum severè à Paulo objurgatum; Deo id agente, ut in uno libertas Christiana, in altero modestia & patientia micaret, exemplo subditis, Prælatisque profuturo, ut egregiè notant S. Augustinus *lib. 2. de Bapt. contra Donatist. cap. 2.* & S. Cyprianus *epist. 71. ad Quint.*

Sed quidquid de hoc sit, certum est Petrum non doctrinâ errasse, sed ad summum exemplo: nec enim docuit, aut decreto aliquo sancivit judaizandum esse; sed exemplo quod omnes venerabantur, quam plurimis occasionem errandi dabit: hoc reprehendit quidem Paulus, sed extra disputationem est. (a) Cur ergo dicit Paulus; cogebat judaizare? Respondet Tertull. *lib. de Præscript.* & cum eo omnes Patres, non jussu, sed exemplo Petrum coëgisse: cui tantum omnes tribuebant, ut pro imperio haberent, quidquid ille ageret: & hoc ipsum S. Paulus expressit *ad Galat. 2.* ubi Petrum non docuisse aut præcepisse dicit; sed à gentilibus se subduxisse, simulasse, ritum Judaico vixisse, &c. alioquin doctrinam quod attinet, certum est sanctum Petrum Legalium observationem non habuisse pro necessaria *Act. 15.* & *ad Galat. 2.* Ergo ut verbo omnia dicamus, simulavit Petrus, non docuit; si ergo erravit, non doctrinæ fuit error, sed facti, de quo non contendimus.

VII. *Non obstat* 7. Zephyrinum Papam eminentis à Montano vaticiniis ac miraculis captum eisdem communicasse, ut testatur Tertullianus *l. adversus Praxeam c. 11.*

Resp. Tertullianum Montanistam fuisse, tantumque illi credendum, quantum Calvinistæ aut Lutherano sacras litteras pro se afferentibus, maximè cum præter Tertullianum, nemo alius id scribat. Deinde ex Eusebio *l. 5. cap. 3.* sciendum est, Montanistas prius quam eam hæresin incidissent, viros fuisse insigni pietate, miraculis & vaticiniis claros, adeò ut etiam in hæresin prolapsi multis sanctisque viris impulerint, teste eodem Eusebio: præferabant insignem pietatem, martyria, jejunia, & quidquid apud Catholicos in pretio erat, sanctissime colebant.

(a) V. epistolas Hieronymi & Augustini §. 9. 19. & 89.

colebant : quâ pietatis larvâ, Tertulliano, omnium ea tempestate præstantissimo illudum, ut quos fuerat acerrimè insectatus in *l. de præscript. c. 15.* eos postea, & defenderit & coluerit, specie videlicet miraculorum & severitatis, quam profitebantur, deceptus. Quid ergo mirum, si eodem pietatis apparatu, obtentique Religionis Catholicæ Zephyrinum circumvenerint? qui tamen à Præxæ rei fabulam edoctus, communionem pacemque, quam illis paraverat, continuò abruptit. Nihil ergo, quod fidei adversaretur, docuit Zephyrinus, sed mendacio deceptus est, at nos Pontificem decipi ab aliquo posse, haud negamus. (a)

VIII. *Non obstat 3.* Liberium Papam Arianae hæresi subscripsisse teste Athanasio in *epistola ad solitariam vitam agentes*, & Hieronymo in *Chronico & in catalogo, aliisque.*

Resp. Totam Liberij culpam hanc fuisse; quòd tædio pœnarum exiliique, & spe repetendæ summæ dignitatis victus; primæ fidei formulæ, quam Sirmij ediderant Ariani, subscripsit, & in damnationem Athanasij consenserit. Hoc solum & totum est Liberij crimen, nec ab ullo scriptorum aliud memoriæ proditum est. In eodem Sirmienti Concilio secunda formula Confessionis concepta est impia omnino & blasphemæ plena, in qua Dei Filius, nec ejusdem substantiæ cum Patre, nec similis esse dicitur: Huic secundæ Hosius Episcopus Cordubensis extremâ jam senectute, vi & tormentis adactus subscripsit. Hujus secundæ formulæ ad eò ipsos Arianos puduit, ut in Concilio Ancyrano tertiam ediderint, Catholicæ omnino simillimam, nisi quòd vocem *Consubstantialis* omitterent, hanc Constantius amplexus est, & secundam suppressam, expunctamque voluit, proposito iis, qui eam occultarent, supplicio. Ita scribunt S. Athanas. *de Synod. Socrat. l. 2. c. 29.* S. Hilarius *l. de Synod. Epiphanius hæresi 73.* Forma igitur Professionis, cui Liberius subscripsit, licet vocem *Consubstantialis* silentio premeret, fuit planè Catholica, in qua Photini hæreses damnabantur, in qua Filius ejusdem cum Patre substantiæ dicebatur, quam ipse S. Hilarius exponens, Catholicam esse fatetur, idemque asserit Vigilii Episcopi Trident. adversus Eutychem *l. 5.* Et Liberius in litteris,

Yyy 2

quas

(a) Philastr. de hæres. c. 50. & Epiphanius hæresi 48.

quas ad Orientis Episcopos dedit, se idem cum Ursacio & Valente communicasse dicit, quod eorum fidem agnovisset Catholicam, aliter atque ab Ariana perfidia. Immo Augustinus tantus Arianorum hostis, adversus Pascendum Arianum agens, se illius fidei subscripturum spondet, si nihil aliud Catholicæ veritati contrarium inveniat, quam quod vocem *Consubstantialis* omittat *epist. 174.* & tamen hanc solam Liberius omitti passus est; cur ergo silentio, & quidem pœnis expresso, unius vocis hæreticus? præsertim cum non prius Sirmio Liberius excesserit, quam Ariana hæresi, illisque qui negarent filium substantiâ, reliquisque omnibus Patri similem esse, damnatis, teste Sozom. *l. 4. c. 14.* Cum ergo formula Sirmiensi cui subscripsit Liberius, nullam hæresin professâ fuerit, & Episcopî, cum quibus communicavit, id ipsum credere dicerent, quod in illa continebatur, ex quo tandem capite Liberium hæresis accuset? de cuius in vera fide constantia contemptuque munerum sibi à Constantio Augusto oblatoꝝ vide Theodoret. *l. 2. c. 22.*

Cur ergo, *inquit*, S. Hieronymus aliique Liberium *hæretica pravitate subscripsisse* dicunt? Quia Athanasij condemnationi assensus est, cujus causa ad eum cum fide conjuncta fuit, ut idem videretur Athanasium condemnare, quod fidem prodere: Quia vocem *Consubstantialis*, quæ tessera Catholicorum erat, omitti passus est: Quia cum Arianis communicavit; ubi quidem multum graviterque à Liberio peccatum est, sed extranaufragium fidei: quemadmodum non idem Lutheranus est, qui cum Lutheranis communicat: sed hanc quoque maculam Liberius extersit, cum rescissis damnatisque Ariminensis Concilii Actis, federe itum pulsus ærumnisque confectus, in sepulchris delituit, multisque propterea encomiis à SS. Patribus laudatus est. V. Sozomen. *lib. 4. cap. 10.*

Denique etiamsi concesserimus formulam, cui Liberius subscripsit, hæreticam fuisse, quid denique contra sententiam nostram sequitur? aliud enim est hæresi subscribere, aliud hæresin docere: & quemadmodum Petrus cum Christum negavit, aut Marcellinus cum Idolis thus incendit, non propterea ex cathedra sententiam tulit, deciditque Christum negandum, Idolis adolendum esse; ita nec Liberius. Nec nos Pontificem metu vinci posse; ut hæresi subscribat, & cum hæreticis commu-

commu-

communicet, negamus: sed non posse hæresin à cathedra Ecclesiam docere, & fidelibus errorem, pro veritate, credendum imponere: hoc nec Liberium, nec ullum Pontificem fecisse, facturumque contendimus. De aliis verò Pontificum erroribus nobis nec quæstio, nec cura est. (a)

IX. *Non obstat 9.* Felicem II. operâ Arianorum, Liberio in exilium pulso, suffectum esse, quem S. Hieronymus Episcopum Arianum fuisse dicit in Catalogo scriptorum in Acatio.

R. esp. Felicem, antequam Pontifex Romanus eligeretur, liberè quidem cum Arianis communicasse, nunquam tamen Arianum fuisse, ut expressè testantur Ruffinus *l. 10. histor. c. 22.* Theodoretus *l. 2. cap. 17.* Sozomenus *l. 4. c. 10.* Immo ubi cathedram Petri conscendit, in alium derepentè mutatus, & societatem cum Arianis abruptit, & Constantium Augustum, quòd Baptismum ab Arianis accepisset, sacris interdixit, capite ut aliqui dicunt propterea truncatus, aut aliàs pro fide catholica ærumnis confectus; nam sanctum & Martyrem obiisse certum est. (b)

X. *Non obstat 10.* Gelasium I. Papam, in libro contra Eutychem, docuisse in Sacramento Eucharistiæ unâ cum carne Christi etiam substantiam Panis post Consecrationem durare, quæ est manifesta Lutheri hæresis: ex quo errore argumentum contra Eutychem deducit, ut quemadmodum post consecrationem utrâque substantia inconfusa perseverat, ita post Incarnationem: verba Gelasij sunt: *Certè Sacramenta, que sumimus, corporis & sanguinis Christi, divina res est, propter quod & per eadem divina efficitur consortes natura, & tamen esse non desinit substantia seu natura panis & vini, &c.* Et ne quis dicat hunc librum Gelasij Papæ non esse; sciendum est S. Fulgentium Gelasij cœvum, hunc ipsum librum Gelasio adscribere, & multa ex illo citare *respons. 2. ad Ferrand. Diacon.* & patet ex illis verbis, quæ in eodem libro habentur: *Cum sedem Apostolicam dilectio vestra unanimiter teneat, constanter predicet, sapienterq; defendat, &c.* Quæ verba auctorem fuisse Romanum Pontificem apertè ostendunt. Si potuit ergo Gelasius errare, poterunt & alii Pontifices, nec enim major est unius,

Yyy 3

(a) V. Baron, ad annum CCCLVII, num. 9. ubi supposita Hilarii scripta refellit.

(b) V. Bellarm. de Romano Pontifice l. 4. c. 9. Baron. ad annum CCCLVII. Azor. p. 2. l. 4. c. 17. Damasum in vita Feliceis, S. Gregor. 1. in Antiphonario & sacramentario.

quam alterius ratio, cum omnes æquè sint Christi Vicarij, omnes Petri Successores, omnesque in eadem cathedra sedeant.

Resp. Hic iterum ex incertis argumentum deduci: est enim incertissimum, Gelasium Papam illius libri auctorem esse; immo videtur certum non esse, ut gravissimi scriptores tradunt, & nos demonstrabimus, ut planè causæ suæ infirmitatem ostendant, cui sustinendæ tam infirmâ, & incerta præsidia adhibentur. Sed Gelasium Papam illius libri auctorem non esse his rationibus probamus.

Primo. Quia liber, quem contra Nestorium & Eutychem Gelasius Papa composuit, Gennadio *de scriptor. Ecclesiast.* & Anastasio *Bibliothecario* testibus, fuit grande volumen, & in quinq. libros distinctum, hic autem, de quo agimus, libellus tantum est, & cujus, qui de Gelasij lucubrationibus scripsere, Gennadius vid. Anastasius, Trithemius &c. nullam mentionem faciunt.

Secundo. Auctor libelli de duabus naturis in ipso exordio altercationem de duabus naturis novam, recentemque & nuper natam esse dicit, ejusque initis extinguendis se illam scriptionem suscepisse: at verò quo tempore Gelasius sedebat, Eutychniana hæresis non tantum nova recensque non fuit, sed planè decrepita, immo extincta & funerata, & quam multa Concilia jam dudum damna verant, Constantinopolitanum vid. sub Flaviano Patriarcha anno CDXLVIII. & aliud Constantinopolitanum, cui Leonis Papæ Legati adfuerunt anno CDL. & Concilium Chalcedonense Oecumenicum anno CDLI. post quod à Marciano & Leone Imperatoribus exterminati sunt Eutychniani anno CDLII. & CDLX. Quomodo igitur Gelasij Pontificis tempore, qui anno CDXCII. electus est, potuit hæresis tot jam retrò annis nata, damnata, extincta, nova esse, recensque?

Tertio. Hic auctor professus se omnium ferè antiquorum Patrum sententias de incarnatione Domini collecturum, ex Latinis duos tantum citat Damasum & Ambrosium, reliquos Græcos omnes, quod argumento est Græcum fuisse, immo Concilij Chalcedonensis, & Leonis Papæ nullam planè mentionem facit, à quibus tamen maximè hæresis Eutychniana conclamata, explosaque est, ut omnino credibile sit hoc opusculum à Gelasio Papâ, & post Chalcedonense Concilium conscriptum esse, cum sola hujus Concilij auctoritas mille Patribus par esset, sufficere.

sufficissetque adversariis revincendis: cur ergo omissum, quod præ omnibus erat? & omissum à Gelasio Papa tantæ eruditionis tantique ingenij viro; qui quæ Concilij Chalcedonensis auctoritate libenter utitur, ut patet *ex ep. ad Faustum* data, tantò libentius tunc usus, cum argumentum, quod præ manibus erat, id unicè posceret, & victoria ex eo penderet.

Quarto. Inter alios orthodoxos Patres Eusebium Pamphili Cæsariensem Episcopum citat, eumque Gregorio Nazianzeno anteponeit, hominem videlicet non tantum non sanctum, nec Patribus annumerandum, sed omnino impium, qui in Diocletiani persecutione defecit, qui sanctos Athanasium & Eutachium Catholicæ Religionis Duces acerrimè infectatus est, qui hæresin Arianam facis instar ubique accendit, in eademque vitam finivit; cuius memoria execrationi semper & luctui Catholicis fuit, quem etiam ejusque opera tanquam peste Arianâ infecta septima Generalis Synodus *Act. 5. & 6.* proscripserunt, cuiusque historiam eodem veneno tinctam Gelasius Papa inter Apocrypha rejecit; hunc, inquam, hominem toties mendacem perfidumque à Gelasio inter Patres, inter sanctos referri? ejusque testimonio, velut orthodoxi Eutychianos revinci?

Quinto. Testatur Cassiodorus solitos fuisse hæreticos, & Pelagianos præsertim suis, quæ in lucem emittebant, operibus Gelasij Pontificis nomen præfigere, ut (verba sunt Cassiodori *l. de divin. Lect. cap. 8.*) *res vitiosas gloriosi nominis auctoritate defenderent.* Nihil ergo novi, si Gelasio Pontifici sint adscripta, quæ ad alium Gelasium spectant, nominis insuper similitudine, fraudem, aut errorem juvante, ut jam dicemus.

Sexto. Itaque Cardinalis Baronius accuratè eruditèque observat, auctorem hujus libelli de duabus naturis contra Eutychem & Nestorium, Gelasium illum esse, cujus in Bibliotheca Photius meminit, qui quæ Acta Synodi Nicænæ tribus tomis contra Eutychianos complexus est: hic enim scripsit, cum hæresis Eutychna sæpius extincta Basiliscæ Tyranni potentiâ gliscere iterum incœpit: idem exagitatum se ab Eutychnianis, & contra eosdem scripsit.

scripsisse dicit. Eusebium Pamphili eximius encomiis ornat, & inter orthodoxos refert, eumq; Joannes II. PP. in ep. ad Acacium, aliisque senatores citat, quæ omnia optimè, & velut ad unguem in libelli auctorem quadrant. Videantur de hoc argumento *Baronius citat. Bellarminus de Rom. Pont. l. 4. c. 10. Canus de locis Theolog. l. 6. c. ult. ad 9. Spondan. ad annum CDXCVI. Ludovic. Jacob. Biblioth. Pont. le Mire Biblioth. Ecclesiast. pag. 72. & 201. Perronius, Binnius, Sirmundus, aliq.*

Quod si verò concederemus hunc ipsum libellum & errorem Gelasij Pontificis esse, non propterea causâ cecidimus. Jam enim præmonuimus Papam multa dicere & scribere, ut privatum Doctorem, non ut Pontificem: nec enim libros scribere est actio Pontifici propria, sed cuilibet Doctori concessa & communis, quæque ex omnium sententia errorem admittit, nec quidquid libris suis Pontifices inserunt, ad fidei dogmata pertinere volunt. Immo hæc est distinctio inter Dei & Pontificis Verbum, quod illud in nulla sui parte, nullo tempore, nulloque casu, etiam in re minima mendacium erroremve patiat: Pontificum doctrina in eo solum casu certitudinem meretur, nec ullo errore scadari potest, cum Ecclesiam è cathedra docet, hoc est, cum quaestione aliqua inter Christianos exortâ, Pontifex rebus omnibus maturè discussis sententiam pronuntiat, declaratque ad fidem aliquid aut hæresin pertinere, & Christi fidelibus, quid eos credere necessariò oporteat, cum apparatu, & pro Pontificia auctoritate mandat: hæc enim solennis, auctoritativa, ad totam ac universalem directâ cum mandato declaratio, est actio soli Pontifici propria, in quam, ut docuimus, cadere error non potest, quod de illa circa Eucharistiam doctrina, Gelasio ad scripta dicti non potest.

XI. *Non obstat 11.* Eundem Gelasium Papam docuisse sacram Eucharistiam sub utraque specie necessariò sumendam esse, nec posse sine sacrilegio species separari, quæ est hæresis Hussitarum & Calvinistarum: habetur hoc Gelasij decretum apud Gratianum in c. *comperimus. de Consecrat. d. 2.* in hæc verba: *Comperimus quòd quidam sumptâ tantummodo Corporis sacri portione, à Calice sacri cruoris abstineant: qui proculdubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemq; mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

Resp.

Resp. Vel Gelasium loqui de Sacerdotibus, qui non possunt alterâ specie abstinere, & sic Gelasium ipse Gratianus, Glossa, & rubrica illius Canonis explicant. Vel Gelasius loquitur de illis, qui non ex præcepto Ecclesiæ, infirmitate, aliâve simili & necessaria causa abstinebant speciebus vini, sed ex superstitione, ut ibi Gelasius se ipsum explicans dicit. Sciendum enim est inter alias Manichæorum hæreses etiam illam fuisse, quod superstitiosum ciborum delectum inducerent, abstinerentque à carnibus & vino, quibus non inesse divinam substantiam dicebant, sed à mali principio generata: ob quam causam abstinebant Eucharistiâ sub speciebus vini, sed tamen ne hæresis notarentur, cum aliis Catholicis, Eucharistiâ sub panis speciebus fruebantur, ut testatur oculatus testis *serm. 4. de Quadrag.* S. Leo Papa: Oportet ergo tunc temporis calicis usum Catholicis liberum fuisse, & aliquando eo non uti solitos, si enim utrâque specie Catholici, & necessariò vescerentur, non tam unius speciei usu latuissent, quam proditi essent Manichæi, & tamen S. Leo eâ simulatione latuisse eos dicit. Ergo monito ejusdem Pontificis, qui perpetuò, & anxie unam tantum speciem frequentabant, dato velut signo pro Manichæis habiti deprehensique sunt. Sanctus ergo Gelasius in citato Canone non absolutè damnat, qui unâ tantum specie Eucharistiâ sumunt: sed qui ex superstitione & sacrilegio hoc faciebant, quales Manichæi erant, quos à Gelasio Papa detectos, exilioque multatos esse, eorum libris concrematis testatur Anastasius Biblioth. *12. Gelasio.*

XII. *Non obstat 12.* Vigilium Papam hæresin Eutychianam professum esse, & anathema illis dixisse, qui duas in Christo naturas dicebant, ut prolixè scribit Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis in suo Breviario *cap. 22.* Ubi Epistolam Vigilij ad Theodoram Augustam recitat, & habetur in *Tomo 2. Conciliorum.*

Resp. Casus Vigilij sic habuit. Theodora Augusta Eutychianam hæresin animo fovebat, dolebátque à Romanis Pontificibus suæ fidei Episcopos, Anthimum præsertim sede ejectos, deportatosque esse. Vigilium ergo Agapeti quondam Diaconum aggreditur, ingentem auri vim, & Pontificatum pollicita, si Chalcedone acta rescinderet, Eutychianam fidem probaret, Anthimum re-

Zzz

stitueret.

stitueret. Omnia à Vigilio promissa, auri cupiditate & ambitione cæco. Sylverius in exilium pulsus, subornatâ, quòd cum Gottis collideret, accusatione. Vigilius Belisarij potentiâ, viventi adhuc & exulanti Sylverio suffectus; quo tempore ad Theodoram arcano chirographo Eutychanam hæresin professus est, monitâ tamen Augustâ, ut omnia silentio, secretòque tegeret, re enim vulgatâ Romanos palàm defecturos. Mortuo postea inter ærumnas Sylverio, Augusta à Vigilio petere, exfolveret fidem occultis litteris obstrictam, reciperetque in gratiam Anthimum Patriarcham. Negavit Vigilius præstari à se posse, quæ temerè promississet: neminem pactis obligari, quæ turpius servantur, quàm rumpuntur. Excanduit imperatrix, & Vigilium attacku, & si dicere licet, factò quodam Romanæ cathedræ subito mutatum, quasi fidem Petri cum mitra induisset, in exilium egit, ubi pœnis, ærumnisque confectus, Sancti nomen, & encomia à Patribus accepit. (a)

Ex hac Vig'lij historia manifestum est, epistolam quâ hæresin probabat, ab eo scriptam, cum nondum vivente adhuc Sylverio legitimus Papa esset; nec fuisse illam epistolam definitionem è cathedra, de qua tantùm disputamus, sed occultos furtivosque codicillos, & ab ipso auctore silentio tenebrisque damnatos, ac luce prohibitos, quod omnino sententiæ judiciali, & è cathedra prolatae repugnat.

XIII. *Non obstat 13.* Honorium I. Pontificem Hæreticum Monothelitam fuisse, eamque hæresin in duabus epistol. ad Sergium docuisse, quam ob causam inter alios hæreticos numeratur, damnaturque in sexta generali Synodo Constantinopolitana sub Agathone Papa.

Resp. Honorium Papam quod attinet, nos planè ambiguos animi esse, quid de illius hæresi dici oporteat. Si enim auctoritatem illorum æstimes, qui eum hæresis accusant, negari omnino non potest hæreticum fuisse, hoc enim testantur Concilia Oecumenica, sextum, septimum & octavum, & hoc præsertim *Actor. 7.* idque semper Apostolicæ sedis Legatis, qui utique reclamassent, si Honorium innocentem credidissent. Honorium quoque hæresi postulant Hadrianus II. Papa, ut habetur *in actis 8. synodi generalis act. 7.* Leo Papa in litteris ad Constantinum

(a) V S Gregor. M. l 2, epist. 36, ad Episc. Hibern. Paulum Diacon. in vita Justiniani, &c.

stantinum Augustum, Agatho Papa ad eundem Augustum. Iterum Leo Papa II. *epist. 2. ad Episcopos per Hispaniam constitutos: & epist. 5. ad Ervigium Regem Hispaniæ.* Nicephorus Patriarcha Constantinopolit. *epist. ad Leonem III. PP.* Tharadius ad summos Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, & sanctæ Urbis, Theodorus cum Synodo sua Hierosolymitana, ut habetur *in 7. synodo aëtor. 3.* Beda *de naturarum cap. 67.* His omnibus tanto numero, tantæque auctoritate, fidem abrogare velle, eosque aut deceptos dicere, aut mendaces, quid amabò aliud est, quam contra torrentem navigare, omnemque historiam Ecclesiasticam in dubium vocare? si enim tot tantique testes decepti sunt, idem de Sozomeno, Socrate, Nicephoro, Theodoro eto, aliisque omnibus dici poterit, qui longè minoris fidei, & auctoritatis sunt, quam illi, qui Honorio Hæresin adscribunt: sublata verò historiâ, & consequenter traditione, usûque Ecclesiæ, quæ tu arma contra hæreticos satis valida habebis? Malè ergo, ut nobis equidem videtur, Ecclesiæ illi consulunt, qui ut Honorij causam tueantur, historiam, Ecclesiâque exarmant. Ergo si testibus agenda res est, Honorius Papa hæreticus fuit.

Si verò causam ipsam rationesque attendas, ob quas hæresis postulatur Honorius, fatendum est innocentem esse, & noxâ liberum. Rem non ex aliorum opinionibus, quæ plerumque partibus addictæ sunt, ideoque fallaces; sed ex ipsa historia litterisque Sergii Monothelithæ ad Honorium, & hujus ad Sergium deducemus. Heraclius fufis fugatisque Persis, & intra Tigrim fluvium coërcitis, Hierapolim victor intraverat. Illic ab Athanasio Jacobitarum Patriarcha officii causâ invisitur. Hunc ejusque asseclas Imperator benignè monet, depositâ tandem Eutylianâ hæresi, quæ unam tantum in Christo naturam agnoscebat, ingratiâ cum Ecclesia redeat, & decretis Chalcedonensis Concilii acquiescat. Athanasius jam hæresin Monothelitharum hauserat, qui ex Eutychanis nati duas in Christo naturas admittebant, sed unam voluntatem, unamque operationem. Ergo ex Imperatore vicissim quærit, ecquid ipse de Christo sentiat, duasne in illo voluntates duasque operationes, an unam esse? Heraclius quid ad hanc quæstionem responderet, dubius, Sergium Constantinopoli Patriarcham, & Cýrum Phasidis Episcopum, per litteras consulit.

Ab utroque (nam Monothelitæ erant) responsum, unam esse Christi voluntatem, unam operationem: idque o deo ab illis Cæsari persuasum, impressumque est, ut edicto, quod Ecthesin, hoc est, expositionem vocarunt, unam in Christo voluntatem prædicari, credique jufferit. Sergius coactâ Synodo novam hæresin, quanto conatu potuit, muniendam curavit, & Imperatoris edictum, ab Episcopis subscriptum spectante populo, ad fores sanctæ Sophiæ palàm affixit. Idem à Cyro Alexandriæ factum. Sophronius sanctitate & doctrinâ tunc celebris, & postea ex Monacho Episcopus Hierosolymitanus, exultanti palàm hæresi, & Principis potentiâ subnixæ, se ex adverso opponit, excitatisque orthodoxis Monothelitas anathemate ferit, & hæreticos pronuntiat. Sergius Catholicorum, & Sophronij præsertim auctoritatem veritus, Honorio Pontifici scribit, simulatâque quam publicè in Synodo & edicto produxerat hæresi, novas à Sophronio turbas agitari dicit, omnia inter Catholicos discordiis misceri, novis nec necessariis vocularum disputationibus animos turbari: optimum proinde videri, si nec una in Christo voluntas dicatur, nec duæ, sed hisce vocibus velut facibus discordiarum extinctis, id de Incarnatione dicatur credaturque, quod Patres & Concilium Chalcedonenſe præsertim definierant.

En tibi historiæ contextum ex ipsa Sergii ad Honorium epistola, quæ recitata est in 6. Synodo, *Act. 12.* & habetur *Tomo 3. Conciliorum Venetæ edition.* Jam quid Honorius responderit, videamus. Isergo duas ad Sergium epistolas dedit; utramque reperies *Act. 12. & 13. sexta Synodi Tomo 3. Conciliorum.* Earum hæc summa fuit: *Duas esse in Christo naturas, eas discretas, inconfusas, impermixtas, sicq; hæreticum esse Eutychetem, qui illas confunderet. Utramq; naturam operari, divinam que Dei sunt, humanam que hominis. Abstinentium tamen à vocibus duarum vel unius voluntatum, idq; multis ex rationibus.*

Primò. Quia voces illæ novæ, & hæctenus inauditæ, & idèò partim essent simplicibus suspectæ, partim offendiculo, cum eas non satis intellerent.

Secundò. Quia qui unam voluntatem diceret, videri posset; unam quoq; naturam admittere, sicq; hæresin Eutychianam incidere: qui vero duas voluntates, duasq; operationes diceret, suspectus fieret hæresis Nestoriana, quasi in duas operationes, ita duos operantes, & consequenter duas in Christo personas agnosceret.

Tertiò.

Tertio. Questionem de una aut duabus voluntatibus in nulla Synodo, nec à Patribus definitam esse, non ergo ad dogma fidei pertinere.

Quarto. Videri hanc questionem vel ad Grammaticos, vel ad Philosophos pertinere, cur ergo illius causâ fideles turbentur?

Quinto. Cum dua in Christo voluntates esse dicuntur, aliquos sic intelligere, quasi dua contraria, pugnantes, discordesq; in Christo voluntates fuerint, ita ut humana nollet, quod vellet divina: id verò falsum & absurdum esse; sed in hoc sensu unam tantum in Christo voluntatem, hoc est, non diversam, neque contrariam dari, cum Christus naturam hominis, non culpam aut repugnantiam natura cum divina voluntate assumpserit. Hæc est sententia litterarum Honorii ad Sergium, quibus hæresis Monothelitarum damnatus est, & quas tanto fidelius nos reddidimus, quòd Tomo 2. Conciliorum in actis sextæ Synodi extant Act. 12. & 13, ubi facilè videri possunt, & cum iis quæ diximus conferri.

Jam verò in his omnibus, quæ Honorius ad Sergium scribit, non tantum hæresin Monothelitarum non adstruit, sed planè destruit; Monothelitæ enim negabant duas in Christo esse voluntates, sed unam tantum; idque in eclesiâ ab Heraclio vulgata expressè continebatur: at Honorius clarissimè dicit: non esse dicendam unam voluntatem, vel unam operationem, sed unum operantem; monetque Sergium, ut omitat deinceps unam voluntatem in Christo dicere. Monothelitæ ideò in Christo unam voluntatem ponebant, ut ex illa inferrent unam naturam, cum natura humana sine voluntate esse non possit, quod S. Maximus in disputatione cum Pyrrho animadvertit: at Honorius expressè duas naturas distinctas inconfusas, discretasque agnoscit.

Monothelitæ nullam propriam & humanam operationem in Christo agnoscebant, sed tantum divinam; dicebant enim, admissis duabus operationibus admittendos esse duos operantes, ut observat S. Thom. 3. p. q. 18. a. 1. & Pyrrhus in dialogo cum S. Maximo fatetur: at Honorius in secunda ad Sergium epistola apertissimè duas naturas esse dicit, & singulis naturis propriam operationem tribuit, quam vis ad evitandam ex novis vocibus offensionem nollet duas operationes dici. Verba Honorij sunt: *Pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos operantem Christum Dominum in utrisq; naturis veraciter confiteri: & pro duabus operationib9*

ablato gemina operationis vocabulo ipsas potius duas naturas in una persona inconfuse, indivise nobiscum predicare propria operantes. Quid potuit clarius ab Honorio dici? si enim qualibet natura habet propriam operationem, hoc est, humanam & divinam, ergo sunt duæ operationes: sicut enim unum idemque non potest esse equus & lapis, ita, multoque minus potest esse divinum & humanum. Ergo perinde est duas naturas cum propriis operationibus (quas Monothelitæ negabant) admittere, quod duas operationes; sed hanc vocem, duas, refugiebat Honorius propter causas suprâ allegatas. Quomodo ergo Honorius Monothelita, si negabat, quod Monothelitæ admittunt, admittebat, quod illi negabant? immo quod maximi momenti est, S. Maximus Abbas & Martyr, qui quæ sedente Honorio vivebat, in celebri illa, cum Pyrrho Monothelita, disputatione, quam totam græcè latinèque Baronius recitat ad calcem *Tom. 8. Annalium*, Pyrrho auctoritatem Honorij opponenti, respondet: non negâsse Honorium duas in Christo voluntates, humanam videl, divinamque; sed negâsse tantum duas humanas & contrarias, quales in hominibus reperiuntur, cum spiritus concupiscit adversus carnem, & caro adversus spiritum: dabimus verba Pyrrhi Monothelitæ Hæretici Honorium acculantis, & S. Maximi Catholici & Martyris eundem Honorium ab imposta calumnia liberantis: *Si ita de Vigilio. Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo unam voluntatem Domini Nostri IESU Christi esse tradidit? Maximus. Quis fuerit fide & auctoritate dignus epistola hujus interpres, quia eam ex persona Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christiana illustravit; an is, qui Constantinopoli, qua ex corde erant, loquebantur? Pyrrhus. Qui hanc composuit, Max. Is igitur ipse, cum ad divum Constantinum Imperatorem ex persona rursus S. Papa Joannis de hac epistola scriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in domina, non divinitatis ejus, & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, qua naturaliter humanitatem ejus signabat. Hoc autem ita esse, argumentum evidens est, meminisse membrorum & carnis, qua quidam de divinitate illa accipi non permittunt.*

Dicit:

Dices: Honorius in duabus illis allegatis epistolis se cum Pyrrho sentire, ejusdemque doctrinam approbare dicit: ac constat Pyrrhum hæreticum fuisse ducemque Monothelitarum.

Resp. Honorium in uno capite cum Pyrrho conspirasse: in aliis verò, quæ hæresin continebant, apertè & ex professo dissensisse. Scripserat enim Pyrrhus, sibi pacis componendæ causâ, comprimendisque discordiis, quæ gliscebant, necessarium videri, ut nec duæ in Christo voluntates dicerentur, nec una, sed duæ tantum naturæ. Respondit Honorius sibi hoc placere, variasque produxit causas, ob quas de duabus operationibus silentium esset. Quod verò Pyrrhus aliud ad Honorium scribens, aliud docens, duas voluntates expressè negaret, unamque assereret, eundemque errorem in Episcopos disseminaret, adeò Honorio non placuit, ut etiam positivè improbaret, ut ex illius epistolis manifestum fecimus.

Ceterum quidquid de causa Honorii Pontificis sit; nihil illum ex cathedra definisse, quod hæresin sapiat, certum est: cum epistolæ, quas ad Sergium dedit, privatæ fuerint, nihilque decendant, & nec unam voluntatem in Christo, nec duas dici velit: sed duas naturas cum propriis operationibus: quod planè non est deciderè, sed rem in suspenso relinquere.

XIV. *Non obstat 14.* Multos alios SS. Pontificum errores fuisse, ut Gregorij III. qui in *epist. ad Bonifacium*, quæ habetur *Tom. 3. Conciliorum & in c. quod proposuisti 32. q. 7.* ob infirmitatem Uxoris Marito aliam ducere permittit. Nicolai I. docentis Baptismum in nomine Christi sine trium personarum expressione valere, *c. à quodam de Consecration. d. 4.* contra canonem *multi.* & canonem in *Synodo d. ead.* Alexandri III. in *c. cum esses de Testamentis*: aliorumque Pontificum, admittentium posse matrimonium ratum alio matrimonio, sed consummato dirimi in *c. licet de sponsa duorum.* Innocentij III. in *c. per venerabilem*: ubi dicit legem Veterem necdum plenè esse abrogatam. Nicolai III. in *c. exijt de V. S. in 6.* ubi docet, Christum perfectam docuisse paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnis dominii tam in particulari, quam in communi: quam doctrinam hæreticam esse definit Joannes XXII. *extravagante ad conditorem.* Et quia quorundam de *V. S.* Idem
Joannes

Joannes negavit animas Beatorum ante Resurrectionem Deum visuras teste Gerlone *serm. de Paschate alijsq.* Cælestini III. *in c. quanto de divortijs*, ubi testatur Innocentius III. eum sensisse Matrimonium dissolvi altero conjugum in hæresin labente.

Resp. Istos omnes aliosque errores, qui Pontificibus tribuuntur, personales fuisse, privatosque, non verò definitivos & sententiales, ut legentibus patet, & ideò singulis non immoramur, sed lectorem ad ea, quæ jam dicta sunt remittimus; videri etiam possunt Cajetanus *in opusculo de 27. questionibus*. Azorius *2. p. l. 5. c. 15.* Canus *l. 6. c. ult.* Bellarm. *de Romano Pontif. l. 4.* Spondanus & Baronius, ubi de singulis Pontificibus agunt. Gonzalez in Decretales, aliique. Habenda est ergo semper ante oculos ea regula, Pontificis Romani in fidei materia definitiones, tunc esse certas, infallibiles, securasque veritatis, & quibus reluctari non liceat, cum videl. quæstione aliquâ ad sedem Apostolicam delatâ, & re maturè discussâ, causæque meritis examinatis, Pontifex sententiam pronuntiat, eamque non ad unam alteramve, sed ad totam & universalem Ecclesiam dirigit, obligatque fideles, ut ita credant: non quidem ut ipsa Pontificis sententia sit causa & ratio credendi; sed tantum applicatio certa & inerrabilis divinæ revelationis, cui fides nostra soli & unicè innititur. Talis enim sententia cum auctoritate & imperio aliquid definiens, toti que Ecclesiæ velut dogma proponens, est proprius actus Pontificiæ potestatis, pertinensque ad solum Pastorem Doctorumque Ecclesiæ universalis: alii verò actus, hoc est, epistolæ, rescripta, responsa ad quæstiones privatorum, aut etiam particularium Ecclesiarum, non sunt actus verè Pontificii, sed cujuslibet Doctoris, aut Episcopi, quos errare posse omnes confitemur. Certitudo quippe fidei à DEO Pontificibus in Petro promissa, non propter personas, Ecclesiasque privatas concessa est, quæ falli omnes possunt: sed propter Ecclesiam universalem erroris incapacem, ut bene notavit Canus *l. 5. c. 5. q. 4.*

XV. *Non obstat 15.* Multa à summis Pontificibus, & etiam Conciliis statui decernique, non tanquam certæ & exploratæ fidei, sed tanquam magis probabilia; non ergo quia sunt definita, ideò sunt certa, sed tantum magis probabilia, v. g. *in c. firmiter de summa Trinitate*. Concilium Lateranense sic loquitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus est solus verus Deus Creator omnium visibilium & invisibilium*

*sibilibum, corporalium & spiritualium, qui simul ab initio temporis n-
tramq; de nihilo condidit creaturam corporalem, & spiritualem, Angeli-
cam videl. & mundanam.* Atqui non est fidei aduersum, Angelos ante
mundum corporeum conditos, aut spiritualis naturæ non esse; quam-
quam qui hoc diceret, temerarius nunc esset. *S. Thom. 1 p. 2. q. 61. art.*
3. Sic etiam *in Clement. unica de sanctissima Trinitate*, ea opinio tan-
quam probabilior eligitur, quæ habet, in Baptismo gratiam & virtu-
tes infundi.

R. Cùm Pontifices & Concilia aliquid definiunt, adduntque
veritatem sic definitam ad fidem pertinere, aut anathema dicunt con-
trarium sentientibus: aut qui ita, ut definitum est, non credunt, hæ-
reticos pronuntiant: aut volunt ea firmiter à fidelibus credi; cùm
ergo Pontifices hoc, similive loquendi modo utuntur, certum est, non
tantùm, quæ magis probabilia, sed quæ omnino certa & explorata
sunt, proponi, cùm fides sit de certò veris, hæresis de certò falsis, om-
ni probabilitate exclusâ, & exempla sunt *in c. damnamus de summa
Trinit. c. unico eodem in 6. Clement. unica eod. § 2.* Quæ autem in Con-
ciliis, vel Pontificum Decretis adducuntur explicandi tantùm causâ,
vel ad objecta respondendo, vel rationes aliquas afferendo, vel inci-
denter solùm, & præter causam principalem afferendo; hæc ad fidem
non pertinent, sed tantùm ad maiorem minorève Pontificum do-
ctrinam, cùm solius Dei sacræque Scripturæ privilegium sit, ne api-
ce quidem in veritatem offendere; Conciliis verò summisque Ponti-
ficibus ea tantùm certitudo donata est, quæ instruendæ Ecclesiæ ne-
cessaria fuit. Si verò summi Pontifices sententiam aliquam, non qui-
dem anathemate feriant, nec hæresis notent, eam tamen doceri exer-
cerive sub pœna excommunicationis prohibeant; ea omnem conti-
nuò amittere probabilitatem practicam, hoc est, tutò licitèque exerce-
ri, & sine peccato non poterit, quantumvis hæretica non sit. Exem-
pla habemus *in c. ad abolendum. de hæret. c. gaudemus de divortis. & in
propositionibus ab Alexandro VII. & Innocent. X damnatas.*

XVI. *Non obstat 16.* Pontificem in quæstionibus facti errare
posse, ut communis omnium Doctorum sententia habet; ergo etiam
poterit in quæstionibus juris, in fidei decretis, & generalibus præ-
ceptis morum. Consequentia probatur, quia multa ad fidem per-

A a a

tinentia,

inentia, in facto consistunt, v. g. Sacramentum Matrimonii à Christo institutum esse, Sacramenta esse tantum septem, non plura: characterem in Baptismo impressum esse qualitatem indelebilem, quæque repeti non possit, &c. Immo in omnibus definitionibus, quæ ad fidem, moreque spectant, non aliter summus Pontifex infallibiliter à Deo dirigitur, quam si omnem, aut saltem necessariam diligentiam rei examinandæ impendat: nec enim somnianti temerè que agenti Spiritus Sanctus dogmata inspirat: at verò ea diligentia est facti, multisque erroribus subjecta: quid si enim non satis rem perpenderit? non doctiores rerumque peritiores ad consilium vocaverit? non audierit quæ in contrarium opponebantur? uni tantum parti aurem, non alteri præbuerit? hæc omnia sunt facti, erroremque admittunt: ergo etiam fidei morumque decreta, quæ ab aliis pendent.

¶. Quæstiones facti esse duplicis generis: alia enim sunt facta, vel immediatè à Deo per scripturas & traditiones revelata, vel saltem cum revelatis connexa, qualia sunt Christum in Eucharistia realiter existere, & panem in sacram illius Humanitatem mutari, &c. In hæc error nullus cadit, cum repugnet, Deum in quacumque re, tam facti quam juris, errore aliquo capi, aut falsum dicere, hoc est, aut ignorantem esse; aut mendacem, quæ duæ sunt falsi origines. Ad eadem facta mediatè revelata pertinet diligentia illa necessaria, quam in rebus fidei decidendis in Romano Pontifice desideramus: cum enim voluerit Deus Ecclesiam errare non posse, voluit etiam nihil ei deesse, quod vitando errori necessarium est: & idè Patres sextæ Synodi contra Monothelitas ex eo, quod in Christo duæ essent naturæ, optimè intulerunt, duas esse voluntates, cum voluntas sit potentia cum humana natura necessariò connexa.

In illis verò quæstionibus facti, quæ nec immediatè, nec mediatè à Deo revelatæ sunt, quæque ex testimonio & informatione hominum pendent, negari non debet, & Concilia & Pontifices errare posse: cum enim fides divina testimonio & Verbo Dei nitatur, & vox Papæ sit vox hominis non Dei, non potest ille, quæ nec mediatè nec immediatè revelata sunt, pro fidei dogmatibus proponere: quæ verò sunt facti, revelata non sunt, & idè errori obnoxia.

obnoxia. Quod ingenuè ipsi Pontifices confessi sunt, Bonifacius videl. VIII. *in c. 1. de constitutionibus*, ubi dicit: Romanos Pontifices ignorare, quæ sunt facti: at ignorantia est mater erroris: errare ergo potest, qui ignorat: Et Eugenius IV. qui cum ex certis magnificis causis Concilium Basileense dissolvisset, & ab eo acta, planè irrita declarasset, per Bullam *Inscrutabilis* anno *MCCCCXXXIII.* veritatem postea edoctus, per aliam Bullam *dudum* anno *MCCCCXXXIV.* quæ prius constituerat, revocat; non quia Concilium dissolvere non poterat, sed quia ex non veris causis, ut postea apparuit, id egerat: extant Bullæ Eugenii in actis Concilii Basileensis *sess. 16.* & videndus est Raynaldus ad *annum MCCCCXXXIV. n. 5.* Denique qui Honorium I. hæresi absolvunt, sunt verò quàm plurimi, ii etiam negare haud possunt, & in Pontifices & in Concilia errorem cadere, ab utrisque enim hæresis damnatus est, ejusque memoria, tanquam hominis hæretici profigata.

XVII. *Non obstat 17.* Fide tantum humanam constare hunc in individuo hominem, v.g. Innocentium XI. esse legitimum verumque Pontificem, ac in terris Christi Vicarium; at fides humana errori subest, fierique potest, non esse legitimum Pontificem; quid si enim invalidè electus? quid si non ritè baptizatus? aut unde nobis constat ritè baptizatum, electumque esse, nisi fide humana, quæ falli potest? Sic Joannes VIII. sic Formosus veri Pontifices credebantur, & tamen eventus docuit, illum scæminam fuisse, istum non verum sed imaginarium Papam, & cujus acta à Stephano VI. omnia rescissa sunt. Si ergo fide divinam & certam Innocentium Pontificem esse non constat; non etiam certa divinaque fide constabit, quæ ab illo decernuntur, certa esse, & ad dogma, si hoc declaret, spectare.

Et. Hanc objectionem nimium sibi sumere, & si quid prebet, non in Pontifices tantum, sed in omnia Concilia, in totam Ecclesiam, & intima fidei Catholicæ viscera grassari: si enim certam, indubiamque fide non constat Innocentium XI. legitimum Papam esse; ergo nec Innocentium X. nec Clementem IX. nec Alexandrum VII. nec Leonem, nec Agathonem, nec Sylvestrum; in omnibus enim aut nulla subest dubitandi ratio, aut eadem. Si ergo Pontifices, & ab illis definita dubia sunt; ergo etiam quæ à Conci-

ciliis, nam hæc à Pontifice confirmantur, & sine Pontifice tam sunt integra, quàm corpus capite suo truncum. Immo ex iisdem causis, quæ tibi Pontifices, eorumque electiones dubias faciunt, ipsa etiam Concilia in dubium vocantur, quæ ut sint legitima, multo pluribus, quàm Pontifices opus habent: dubio verò Pontifice, dubiis Conciliis, dubiis etiam quæ ab illis constituta sunt, quid superest in fide certum? frustra Ariana hæresis, frustra Nestoriana, Eutyriana, Lutherana, Calvinistica, frustra omnes hæreses damnatae, nam ut tu dicis, incerti erant Papæ, incerta Concilia, incerta ab utrisque decisa; quæ verò incerta sunt, nec ad hæresin, nec ad fidem pertinent, ut credi necessario negativè debeant. Quòd si nemo audeat Concilia, quæ ab Ecclesia recepta sunt, in dubium vocare, immò qui hoc agit, æquè ac qui Evangelia non recipit, hæreticus est, teste D. Gregorio *in c. sicut. d. 15.* idem de Pontifice Romano dicendum est, par enim, ut paulo ante notavimus, de utrisque est ratio. Et sic ut ad fidem non sufficit credere aliquam in genere Ecclesiam, & non istam determinatam; aut aliquas scripturas sacras, sed non istas, quas manibus terimus; ita nec sufficit, aliquem in Ecclesia Vicarium, aliquod caput visibile, aliquem Judicem Controversiarum, sed non istum, quem Ecclesia elegit, quem Ecclesia colit, à quo leges & decreta, ac in rebus controversis sententiæ procedunt. Quando navigabis, quando litrem absolves, quando finem morbo impones, si aliquam quidem navim, aliquem judicem, aliquem medicum velis, sed nullum certum, nullumque, quem possis digito ostendere, nec istum, nec illum admittas? sic pessimè consultum Ecclesiæ; pessimè fidelibus, si Christum nullum illis Pontificem dedit, cum in morm, tum in fidei decretis certam fidem deberent, certamque obedientiam. Nec in Ecclesia tot retrò sæculis, & hæreticis toties in Romanam sedem armatis auditum aliquando est, hanc Pontificibus eorumque Decretis exceptionem oppositam esse, quòd videlicet non certò constaret Leonem, Sylvestrum, Damasum legitimos Papas esse: quanti putas hoc inventum Ariani emissent, ut Nicæno Concilio litem inferrent, & quæ illic Patres deciderant, inania redderent? sed hoc nostro sæculo, in quo tanta novarum rerum cupido est, visimus antiquitatem, novo artificio reperto, ut Papam sine Papa, legem.

gem sine lege, sententiam sine sententia haberemus, hoc est, aliquem Papam, sed non istum, aliquem Legislatorem, sed non istum, aliquem Judicem, sed non istum, nullumque certum; captâ interim credendi faciendique quod placet libertate. Denique post Concilium Constantiense vix intelligimus, quomodo negari possit certâ fide hunc in individuo Pontificem pro vero legitimoque habendum esse, *sess. enim ult.* Martinus Papa sacro approbante Concilio, ab hæreticis, qui Ecclesiæ Catholicæ conjungi volunt, ante omnia exigendum esse dicit: *Ut credant Papam Canonice electum, qui pro tempore fuerit, ejus nomine expresso esse successorem Petri, & supremam habere in Ecclesia potestatem.* Supponit ergo Concilium, credi posse fide divinâ, (nec enim de alia fide quàm divina hæretici sunt interrogandi,) hunc numero & determinatum Pontificem legitimum esse Christi Vicarium, immo credi debere, nec enim quæ credi non possunt, aut non debent, necessariò credenda sunt.

Dices: Concilium loqui de Pontifice canonicè electo, at non constare canonicè electum esse.

Respondemus: Si constare certâ fide non potest Papam Canonice electum esse, cur ergo Concilium tam accuratè vult hæreticos de hoc interrogari? erit enim otiosa minimeque necessaria interrogatio, cum sicut constare non potest esse canonicè & validè electum, ita nec legitimum Pontificem Christique Vicarium. At Papam legitimè baptizatum, ordinatum, electumque esse Deus nunquam revelavit, qui ergo credi potest? Immo tunc revelavit, cum tota Ecclesia Pontificem pro legitimo habuit receptique; vox enim & testimonium Ecclesiæ, quæ falli non potest, vox est & testimonium Dei: sicut enim Deus nunc verbo, nunc litterâ, nunc miraculis, ita vocibus & assensu Ecclesiæ loquitur, juxta illud Christi Domini pollicitum: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; ipse spiritus docebit vos omnem veritatem.*

Ad Dei ergo providentiam curamque pertinet, ut Ecclesiam, quam voluit esse columnam & firmamentum veritatis, in re tanti momenti errare non permittat, eumque pro Pontifice colere, qui Pontifex non est; aut si permittat circa personam ipsam Pontificis errare, non permittat tamen circa auctoritatem, hoc est, putatio Pontifici eam ipsam auctoritatem potestatemque, quam vero

558 Lib. III. §. IX. R. ad objecta contra infallibil. S. Pont.
tribuat, quemadmodum leges humanae id ipsum in putatio iudice,
teste, & matrimonio statuunt in l. Barbarius de off. Prat. l. 3. in fine ff.
de suppellect. legat. l. 3. ff. ad S. C. M. §. 7. Insti. de Testam. ordin. c. in-
famis 3. q. 7. c. penult. *Et ule qui filii sint legitimi.*

XVIII. *Non obstat 18.* Eorum sententiam, qui Pontificem ex-
tra Concilium falli posse affirmant, probabilem esse, ergo illam tuto
amplecti, docere, & si res ferat, exercere etiam possumus.

R. Sententiae alicujus probabilitatem ex duobus capitibus as-
stimari: ex rationum videl. gravitate ac momentis; & ex docen-
tium auctoritate. Rationes quod attinet, aut nullae pro contraria
sententia producuntur, aut tam infirmae fragilesque, & solutu tam
faciles, ut ad flectendum in unam partem intellectum, ejusque assen-
sum non dico extorquendum, sed invitandum, pondus exiguum ha-
beant, immo nullum, si cum illis rationibus conferantur, quae in
oppositum urgent. Compara scripturas cum scripturis, Concilia
cum Conciliis, Patres cum Patribus, Ecclesiae usum cum usu, ratio-
nes cum rationibus, & tunc demum videbis, quam viam movendo fle-
ctendoque intellectui habeant, quae ab Adversariis dicuntur; revoca
etiam in animum Patrum Doctorumque censuras, quibus senten-
tiam illam configunt, & tecum reputa, an aliquam probabilitatis spe-
ciem agnoscant: & censuras non Patrum quorumcunque, sed san-
ctitate & doctrinam florentium, quosque non ut Doctores tantum,
sed ut fastigia & vertices Doctorum omnes scholae venerantur. Vix
pro sententia, quam impugnamus, octo decemque auctores nume-
rabis, ubi nostra omnes habet, quotquot ubique terrarum scriplere,
Quis enim est Gerson, Almainus, Adrianus, ut illos Thomae Aquina-
nati, Alberto M. Bonaventurae, Antonino, Bernardo, & omnibus
ferè opponas? Enimverò ad hos soles pallescunt illae stellae, dispa-
rentque, & tam fieri non potest, ut qui istorum auctoritatem ratio-
nesque spectat, aliquam in contraria sententia probabilis rationem vi-
deat, quam ut lucente in meridie sole radii aliquid aut lucis in stellis
observet: immo multo minus; cum in caelo stellae sint plurimae,
sol unus, à nobis verò soles sint plurimi, & ex adverso
stellae paucissimae.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER